

OFFICIA PROPRIA  
ARCHIDIOECESIS  
MONACENSIS ET FRISINGENSIS

PARS ÆSTIVA

Die 5 Junii

**S. Bonifatii**

**Episcopi et Martyris**

Duplex II classis

Officium de Communi unius Martyris, præter ea, quæ in Breviario hac die habentur propria. Lectiones I Nocturni A Miléto.

Ad Horas Psalmi de Dominica, ad Primam tamen ut in Festis.

Completorium de Dominica.

Die 16 Junii

**S. Bennonis**

**Episcopi et Confessoris  
Patroni Bavariae et  
Patroni principalis Civitatis  
Archiepiscop.**

Duplex II classis

In Civitate Archiepiscop.:

Duplex I classis  
cum Octava communi

Omnia de Communi Conf.  
Pont., præter sequentia:

Oratio

**D**eus, qui nos beati Bennonis Pontificis confessione gloriosa circumdas et proté-

gis: da nobis, et ejus imitatione proficere, et intercessione gaudere. Per Dominum nostrum.

Completorium de Dominica.

In I Nocturno Lectiones Fidelis sermo, de eodem Communi 1 loco.

In II Nocturno

Lectio iv

**B**enno, Hildésima Saxoniae civitate, illustribus genitoribus oriundus, quinquennis sancto Bernardo Hildesimensi episcopo, ejus consanguineo, commendatus, Wiggéro monasterii sancti Michaelis præposito in Dei timore instruendus et in studio litterarum erudiendus traditur. Factus adolescens, episcopi consilio sumpto habitu monachorum in eodem cœnobio tam sancte vixit, ut mortuo abbate cogeretur sollicitudinis abbatiæ sarcinam subire: cujus tamen vacationem præ amore vi-

tæ contemplativæ, post spátium trium circiter mën-  
sium, flëntibus sæpe ócu-  
lis impetrávit. Cum autem  
speráret, réliquum vitæ  
privátim in oratióne trans-  
igere, Henricus imperátor  
tértius hujus nóminis, cú-  
piens in Ecclesiá Gosla-  
riénsi a se nuper absolúta  
congregatióne Canonicó-  
rum reguláriter vivéntium  
a probatíssimis et doctís-  
simis quibúsque Germanó-  
rum constituére, Bennó-  
nem magnis précibus a  
Pontífice Leóne nono im-  
petrátum et illius auctori-  
tate ab órdine monástico  
ad canónicum translátum,  
eídem novéllæ congrega-  
tióni magístrum dedit, ut  
illi spirituális armaturæ  
dux esset, et illam eccle-  
siásticæ disciplínæ tirocí-  
niis informáret.

**R.** Invéni David servum  
meum, óleo sancto meo  
unxi eum: \* Manus enim  
mea auxiliábitur ei. **V.**  
Nihil proficiet inimicus  
in eo, et filius iniquitátis  
non nocébit ei. **Manus.**

### Lectio v

**C**um autem annos decem  
et septem in canóni-  
ca congregatióne sanctís-  
sime vixisset, et monasté-

rium Goslariénsē multó-  
rum prædiórum, domórum  
et cénsum patrénæ here-  
ditátis attributióne dita-  
visset, suadente beáto An-  
nóne Coloniénsi archiepí-  
scopo, ecclésiæ Misnénsi  
tunc vacánti præfèctus,  
episcopátum ne acciperet,  
ómnibus quibus pótuit  
modis réstitit; sed tandem  
beáti Annónis acri objur-  
gatióne compúlsus pótius  
quam persuásus, illum  
suscepit, non néscius tam-  
en, divíno sibi revelánte  
Spíritu, quantis tribulatió-  
num flúctibus in episco-  
pátu foret exagitándus;  
quemádmódum ipse evén-  
tus comprobávit, dum  
Henricus quartus imperá-  
tor, bello contra Sáxones  
excitáto sanctum episco-  
pum officio boni pastóris  
incumbéntem et nihil mali  
suspiciántem invádens, in-  
sónstem capit, ómnia illius  
ecclésiæ bona díripit, et  
captum carcéribus et ex-  
silio duríssimo damnat.

**R.** Pósui adjutórium su-  
per poténtem, et exaltávi  
eléctum de plebe mea: \*  
Manus enim mea auxiliá-  
bitur ei. **V.** Invéni David  
servum meum, óleo sanc-  
to meo unxi eum. **Manus.**

### Lectio vi

**R**evocátus deínde ab ex-  
silio, et ad suam ec-  
clésiám ire permissus, mox  
ália tempestáte contra il-  
lum obórta, exsuláre dé-  
nuo compéllitur, exórto  
nimírum diro schísmate  
inter Románum Pontifi-  
cem Gregórium séptimum  
et ipsum imperátorem, quo  
vel Henrici iram incúrre-  
re, vel Dei et Pontíficis  
mandatórum transgréssor  
fieri cógitur. Eligens enim  
pótius indignatióne hóm-  
inum incúrre quam  
divinum mandátum con-  
témnere, superátis insí-  
diis sibi in itinere pará-  
tis, Romam pergens, Pon-  
tífici adhásit et pro illius  
auctoritáte, nec non ét-  
iam pro ecclesiástica li-  
bertáte, contra ipsum im-  
perátorem acérrime pug-  
návit, et unus fere ex tota  
Germánia concílio Romá-  
no, eádem causa contra  
imperátorem celebráto,  
intérfuit et subscripsit.  
Qui tandem imperátore  
víribus fracto, libere ad  
ipsam ecclésiám revérsus,  
dum eídem ecclésiæ in-  
staurándæ moribúsque re-  
formándis strénuam ópe-  
ram impéndit, dum Slavis

ab erróre idololatríæ re-  
purgándis prædicatióne et  
miráculis totus incúmbit,  
séntiens horam sui éxitus  
appropinquáre, convocátis  
frátribus et ad mútuam di-  
lectiόnem sério cohortátis,  
prænuntiáta, quæ futúra  
erat, Ecclesiæ pace ac  
tranquillitáte, in Dómino  
obdormívit, decimoséxto  
Kalédas Júlii, ab Ha-  
driáno sexto in Sanctórum  
númerum relátus.

**R.** Iste est, qui ante De-  
um magnas virtútes operá-  
tus est, et omnis terra doc-  
trína ejus repléta est: \*  
Ipse intercédát pro peccá-  
tis ómnium populórum. **V.**  
Iste est, qui contémpsit vi-  
tam mundi, et pervénit ad  
cæléstia regna. **Ipse. Gló-  
ria Patri. Ipse.**

In III Nocturno Homilia in  
Evangelium Homo peregre, de  
eodem Communi 1 loco.

Ad Horas Psalmi de Do-  
minica, ad Primam tamen ut  
in Festis.

Completorium de Dominica.

Pro Commemoratione  
Octavæ

In I Vesperis

**Ant.** Sacerdos et Pónti-  
fex, et virtútum ópifex,  
pastor bone in pópulo, ora  
pro nobis Dóminum.

**V.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stolum glóriæ induit eum.

¶ **Præcedens Antiphona cum suo V.** sumitur etiam pro Commemoratione Octavæ in Laudibus diei 22 Junii.

### Oratio

**D**eus, qui nos beáti Bennónis Pontíficis confessione gloriósa circumdas et prótegis: da nobis, et ejus imitatione proficere, et intercessióne gaudere. Per Dóminum nostrum.

### In Laudibus

**Ant.** Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constitúam, dicit Dóminus.

**V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

Quando variandus est **V.** (18 et 21 Junii), sumitur **V.** Amávit, ut supra.

### In II Vesperis

**Ant.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolum glóriæ induit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

**V.** Justum, ut supra.

In Vesperis diei 18 Junii **V.** Amávit, ut supra.

In Vesperis diei 21 Junii vero adhibetur sequens:

**V.** Elégit eum Dóminus sacerdotem sibi. **R.** Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.

Infra Octavam et in die Octava Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas de occurrenti hebdomadæ die; Lectiones I Nocturni de Scriptura occurrenti.

### Die 17 Junii

In Civitate Archiepiscop.:  
**De II die infra Octavam**  
**S. Bennonis**

### Semiduplex

### In II Nocturno

Sermo sancti Ambrósii  
Epíscopi

Sermo 16 de Depositione  
S. Eusebii

### LECTIO IV

**D**epositionem sancti Bennónis hódie celebrámus. Quid est depositio? Non illa útique, quæ sepeliéndis in terra membrorum reliquiis clericorum manibus procurátur: sed illa, qua homo vínculis carnálibus absolútus liber itúrus ad cælum, terrénium corpus expónit. Ipsa plane est depositio, in qua concupiscere abjícimus, ces-

sámus delinquere, peccáre desínimus; et totum quidquid salúti est grave, quasi abjécta sarcína óneris expónimus. Nam ídeo hæc dies pro celebratíone máxima procurátur, quia vere est summa festívitatis, mórtuum esse vítiis, soli vigé-re justítiae.

**R.** Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: \* Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitátis non nocébit ei. **Manus.**

### LECTIO V

**U**nde et de positionis ipsa dies natális dicitur, quod delictórum cárcere liberáti, libertáti nascimur Salvatóris. Sed videámus, sanctus Benno cum qua glória ad hanc diem de positionis advenerit. Voláre non potest, nisi quod purum, leve atque subtile est, cujus nec sinceritas intemperántia retardátur, nec alacritas, nec velocitas mole gravátur. Gravári autem volátum dico, non tam mole membrorum, quam pónere delictórum. Unde puto étiam in ipsis ávibus ídeo velócius co-

lumbam pæne præ ómnibus volítare, quod alacritátem et innocéntiam comítetur.

**R.** Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: \* Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. **Manus.**

### LECTIO VI

**D**énique sanctus David, cum puritáte mentis voláre concupisceret, non alterius animántis nisi colúmbæ optávit alas, dicens: Quis dabit mihi penas sicut colúmbæ, et volábo, et requiescam? Intelligébat enim, quod altióra facilius penetréntur simplicitáte mentis, quam levitáte pennárum. Volávit ergo hac die sanctus Benno. Æstimémus jam ejus innocéntiam de voláto, et puritátem ejus de ipsa elatióne judicémus; tamquam colúmba enim in domo Dei degens, assúmpsit spirituáles penas, et requiévít in monte.

**R.** Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est:

\* Ipse intercédât pro peccatis omnium populorum. **V.** Iste est, qui contempnit vitam mundi, et pervenit ad cælestia regna. Ipse. **Gloria Patri. Ipse.**

### In III Nocturno

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum

### Lectio vii Cap. 25, 14-23

**I**n illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolum hanc: Homo peregre proficiscens, vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua. Et reliqua.

De Homilia sancti Gregorii Papæ

### Homilia 9 in Evangel. circa finem

**S**ciendum vero est, quod nullus ab hac talenti acceptione securus est. Nullus namque est, qui veraciter dicat: Talentum minime accepit, non est unde rationem ponere cogat: talenti enim nomine cuilibet pauperi etiam hoc ipsum reputabitur, quod vel minimum accepit. Alius namque accepit intelligentiam: prædicationis ministerium debet ex talento. Alius terrenam substantiam accepit: erogationem talenti debet ex rebus. Alius didicit artem, qua

pascitur: ipsa ars ei in talenti acceptione reputatur. Alius familiaritatis locum apud divitem meruit: talentum profecto familiaritatis accepit. Si ergo nihil pro indigentibus loquitur, pro talenti retentione damnatur.

**R.** Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriæ induit eum, \* Et ad portas paradisi coronavit eum. **V.** Induit eum Dominus lorica fidei, et ornavit eum. **Et.**

### Lectio viii

**T**antum quippe ab unoquoque nostrum venturum iudex exigit, quantum dedit. Ut ergo de talenti sui rationibus, redeunte Domino, quisque securus sit, cum timore penset quotidie quid accepit. Ecce namque jam iuxta est, ut ille, qui peregre profectus est, redeat. Quasi quippe peregre abiit, qui scilicet de hac terra, in qua natus est, longe discessit, sed profecto revertitur, ut de talentis rationem ponat: quia si a bona actione torpescimus, de ipsis donis quæ contulit, non districtius iudicat.

**R.** Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes

Die 20 Junii

In Civitate Archiepiscop.:  
De V die infra Octavam  
S. Bennonis

Semiduplex

**Ant.** Sacerdos et Pontifex, et virtutum opifex, pastor bone in populo, ora pro nobis Dominum.

**V.** Amavit eum Dominus, et ornavit eum. **R.** Stolam gloriæ induit eum.

Si vero hac die faciendum non sit Officium de Octava, dicitur **Ant.** Amavit, **V.** Iustum, ut supra 4\*.

### Oratio

**D**eus, qui nos beati Bennonis Pontificis confessione gloriosa circumdadas et protegis: da nobis, et ejus imitatione proficere, et intercessionem gaudere. (Per Dominum.)

Deinde Commemoratio S. Silverii Papæ et Mart.:

**Ant.** Iste Sanctus pro lege Dei sui certavit usque ad mortem, et a verbis impiorum non timuit; fundatus enim erat supra firmam petram.

**V.** Gloria et honore coronasti eum, Domine. **R.** Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

tes in manibus vestris: \* Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis. **V.** Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. **Et.** Gloria Patri. **Et.**

### Lectio ix

**C**onsideremus igitur, qua accepimus, atque in eorum erogatione vigilemus. Nulla nos a spiritali opere terrena cura impediât, ne si in terra talentum absconditur, talenti Dominus ad iracundiam provocetur. Piger etenim servus, cum iam culpas iudex examinat, talentum de terra levat: quia sunt plerique, qui tunc se a terrenis desideriiis vel operibus subtrahunt, quando iam per animadversionem iudicis ad æternum supplicium trahuntur. Ante ergo de talenti nostri ponenda ratione vigilemus, ut cum iam iudex ad feriendum imminet, lucrum nos, quod fecimus, excuset.

**Te Deum laudamus.**

Vesperæ de sequenti Festo S. Ephræm Syri. Conf. et Eccl. Doct., Commemoratio Octavæ ut supra 4\*, et Ss. Marci et Marcelliani Mm.

## Oratio

**G**regem tuum, Pastor ætérne, placátus intén-de: et per beátum Silvérium Mártýrem tuum atque Summum Pontíficem perpétua protectióne custódi; quem totíus Ecclésiæ præstitisti esse pastórem. Per Dóminum nostrum.

## In II Nocturno

De Sermóne sancti Joán-nis Chrysóstomi

In cap. 15 Ep. ad Rom.

Serm. 29 ad fin.

## Lectio iv

**E**t hómines quidem, qui pópulis præsumt, si quando de rebus fortuítis consultatúri sunt, diébus non conténti, noctes étiam vigilándo ádhibent: nos vero, qui pro ipso cælo certámen habémus, ipso quoque die dormímus. Quis, quæso, ab illo nos supplicio erípiet, quod istis debétur? Si enim corpus trucidándum expóne-re, si innúmeras mortes ferre oportébat, numquid ad hoc munus, tamquam ad núndinas curréndum erat? Hæc autem non solum pastóres, sed et oves áudiant, ut alacrióres fá-ciant pastóres, áliud qui-

dem nihil, verum omnem obcædiéntiam animúmque, cui persuadéri queat, exhibéntes.

**R.** Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: \* Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitátis non nocébit ei. **Manus.**

## Lectio v

**I**ta Paulus præcépit di-cens: Obcædite dúcibus vestris et súbditi estóte: nam ipsi vígilant pro animábus vestris, tamquam ratióne dáturi. Quando vero dicit: nam ipsi vígilant; innúmeros labóres, curas et perícula compléctitur. Bonus enim pastor, et talis, qualem Christus vult, innúmeris compará-tur mártýribus. Propter Christum quippe mártýr semel quidem est mórtuus, hic vero millies propter gregem, si quidem talis sit pastor, qualem esse oportet. Prop-térea et vos, cógno isto labóre, et præcibus et dil-igéntia et ánimi alacritá-te et dilectióne nos juvá-te, ut et nos vestra, et vos vicíssim nostra gloriátio sitis.

**R.** Pósuí adjutórium su-per poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: \* Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. **Manus.**

## Lectio vi

**N**am ideo Christus illud apostolórum summáti et plus ipsum quam réli-qui diligénti commén-dans et injúgens, pri-mum rogábat, an ab ip-so diligerétur: ut discas, quod istud sit ante óm-nia réliqua dilectiόνis in Christum pósito signum. Strénuo síquidem ánimo hic opus est. Hæc vero mihi de óptimis pastóribus dicúntur, non de me ipso et mei similibus; sed si quis talis sit, qualis erat Paulus, qualis Petrus, qualis Benno. Istos itaque imitémur et supe-rióres et súbditi: licet enim et súbdito pro parte pastórem ágere, nempe domus suæ, amicórum, do-mesticórum, uxóris, libe-rórum.

**R.** Iste est, qui ante De-um magnas virtútes ope-rátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: \* Ipse intercédât pro pec-cátis ómnium populórum.

**V.** Iste est, qui contémp-sit vitam mundi, et per-vénit ad cælestia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

## In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii se-cúndum Matthæum

## Lectio vii Cap. 25, 14-23

**I**n illo témpore: Dixit Je-sus discípulis suis pará-bolam hanc: Homo pére-gre proficiscens, vocávit servos suos, et trádidit il-lis bona sua. Et réliqua.

Homília sancti Hilárii  
Epíscopi

## Can. 27

**D**ivísio pecúniæ inæquá-lis est, sed non ad di-vidéntem referénda divér-sitas est. Ait enim, unum-quémque secúndum virtú-tem suam accepisse. Igi-tur unusquisque secúndum fidei suæ mensúram taléntum, id est, evangélii prædicatióne a prædi-cante suscepit. Sed ser-vus ille, qui quinque ta-lénta accépit, pópulus ex lege credéntium est; ex qua proféctus, méritum ipsius recte probéque per-functus evangélica fidei operatióne duplicávit. In ratióne autem ponénda ju-dicii exámen est, quo cæ-léstis verbi usus, et réddi-

tus dispensáti talénti postulátur.

**R.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ induit eum, \* Et ad portas paradísi coronávit eum. **V.** Induit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum. **Et.**

### Lectio viii

**I**gitur cui erant quinque commissa, Dómino reverso de quinque decem obtulit: talis scilicet in fide repertus, qualis in lege: qui decem verborum quinque libris Móysi præceptorum obediéntiam per grátiam evangélicæ justificatiónis expléverit. Igitur jubétur in gáudium Dómini introíre, id est, in honórem glóriæ Christi recipitur. Ille vero servus, cui duo talénta commissa sunt, géntium pópulus est, fide atque confessiône et filii justificatióne et patris, Dómini nostrum Jesum Christum Deum atque hominem et spírítu et carne conféssus: nam et corde fides, et ore conféssio fit. Hæc ergo huic sunt duo talénta commissa.

**R.** Sint lumbi vestri præcincti, et lucérnæ ardentes

in má nibus vestris: \* Et vos similes homínibus expectántibus dómينو sum, quando revertátur a nuptiis. **V.** Vigiláte ergo, quia nescitis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. **Et. Glória Patri. Et.**

Pro S. Silverio Papa et Mart.:

### Lectio ix

**S**ilverius Campánus post Agapítum próxime Póntifex creatus est: cujus doctrína et sánctitas illúxit in insectándis hæreticis, et constantís animi magnitúdo perspécta est in tuéndo judício Agapíti. Nam Anthimum, quem, quia Eutychiánam hæresim defendébat, Agapítus ab episcopátu Constantinopolitáno deposúerat, cum a Theodóra Augústa sæpíssime rogátus esset, restitúere nóluit. Quam ob rem iráta múlier mandat Belisário, ut Silverium mittat in exsili-um. Qui exsultávit in insula Póntia, unde his verbis scripsisse fertur ad Amatórem episcopum: Susténtor pane tribulatiónis et aqua angústia; nec tamen dimísi, aut dimíto officium meum. Et sane, brevi incómodis ærum-

nisque conféctus, obdormívit in Dómino, duodécimo Kalédas Júlii. Cujus corpus, Romam delátum et in basilíca Vaticána depósitum, multis miráculis illustrátum fuit. Præfuit Ecclésiæ annos tres et ámplius, creatis mense Decémbri presbýteris trédecim, diáconis quinque, episcopis per díversa loca decem et novem. **Te Deum.**

### Ad Laudes

**V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

**Ad Bened. Ant.** Euge, serve bone \* et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constitúam, dicit Dóminus.

### Oratio

**D**eus, qui nos beáti Bennónis Pontificis confessiône glóriosa circúmdas et prótegis: da nobis, et ejus imitatióne proficere, et intercessiône gaudere. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Silverii:

**Ant.** Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

**V.** Justus ut palma florébit. **R.** Sicut cedrus Libani multiplicábitur.

### Oratio

**G**regem tuum, Pástor ætérne, placátus inténde: et per beátum Silverium Mátyrem tuum atque Summum Pontíficem perpétua protectiône custódi; quem totiús Ecclésiæ præstitistis esse pastórem. Per Dóminum nostrum.

Vesperæ de sequenti Festo S. Aloisii, Commemoratio præc.: **Ant.** Amávit, **V.** Justum dedúxit, ut supra 4\*.

Die 23 Junii

In Civitate Archiepiscop.:

In Octava S. Bennonis

Duplex majus

**V.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stolam glóriæ induit eum.

**Ad Magnif. Ant.** Sacerdos et Pontifex, \* et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

**Oratio** Deus, qui nos, ut supra.

Et fit Commemoratio præcedentis Festi S. Paulini:

**Ant.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ induit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

**V.** Justum deduxit Dominus per vias rectas. **R.** Et ostendit illi regnum Dei.

### Oratio

**D**eus, qui omnia pro te in hoc saeculo relinquuntibus, centuplum in futuro et vitam aeternam promisisti: concede propitius; ut, sancti Pontificis Paulini vestigiis inhaerentes, valeamus terrana despiciere, et sola caelestia desiderare: Qui vivis et regnas.

### In II Nocturno

Sermo sancti Gregorii  
Papae

Part. 2 Pastoralis, cap. 1

### Lectio iv

**T**antum debet actionem populi actio transcendere praesulis, quantum distare solet a grege vita pastoris. Oportet namque, ut metiri se sollicito studeat, quanta tenendae rectitudinis necessitate restringitur, sub cuius aestimatione populus grex vocatur. Sit ergo necesse est cogitatione mundus, actione praecipuus, discretus in silentio, utilis in verbo, singulis compassione proximis, praecunctis contemplatione suspensus, bene agentibus per humilitate-

tem socius, contra delinquentium vitia per zelum iustitiae erectus, internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum providentiam in internorum sollicitudine non relinquens.

**R.** Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: \* Manus enim mea auxiliabitur ei. **V.** Nichil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocet ei. **Manus.**

### Lectio v

Ibidem, cap. 9 et 10

**C**onsiderandum quoque est, quia, cum curam populi electus praesul suscipit, quasi ad aegrum medicus accedit. Si ergo adhuc in ejus corpore passiones vivunt, qua praesumptione percussus mederi properat, qui in facie vulnere portat? Ille modis omnibus debet ad exemplum bene vivendi pertrahi, qui cunctis carnis passionibus moriens jam spiritualiter vivit, qui prospera mundi postponit, qui nulla adversa pertimescit, qui sola interna desiderat: cuius intentioni bene congruens, nec omnino per imbecillitatem corpus, nec valde

per contumaciam repugnat spiritus: qui ad aliena cupienda non ducitur, sed propria largitur.

**R.** Posui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea: \* Manus enim mea auxiliabitur ei. **V.** Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. **Manus.**

### Lectio vi

Ibidem, cap. 8

**U**nde ipsum quoque episcopatus officium boni operis expressione definitur, cum dicitur: Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Ipse ergo sibi testis est, quia episcopatum non appetit, qui non per hunc boni operis ministerium, sed honoris gloriam quaerit. Sacrum quippe officium non solum non diligit omnino, sed nescit, qui ad culmen regiminis anhians, in occulta meditatione cogitationis ceterorum subjectione pascitur, laude propria laetatur, ad honorem cor elevat, rerum affluentium abundantia exultat. Mundi ergo lucrum quaeritur sub ejus honoris specie, quo mundi destrui lucra debuerant.

**R.** Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus repleta est:

\* Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. **V.** Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad caelestia regna. **Ipse.** Gloria Patri. **Ipse.**

### In III Nocturno

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum

Lectio vii Cap. 25, 14-23

**I**n illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabalam hanc: Homo peregre proficiscens, vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua. Et reliqua.

Homilia sancti Ambrósii  
Episcopi

Lib. 2 de voc. gent. cap. 2  
post medium

**D**atur unicuique hic sine merito, unde tendat ad meritum; et datur ante ullum laborem, unde quisque mercedem accipiat secundum suum laborem. Quod ita esse, evangelicae veritatis testimonio agnoscitur, ubi per comparationem dicitur, quod homo peregre proficiscens vocavit servos suos, et tradidit illis substantiam suam:

et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem, idest, secundum propriam et naturalem possibilitatem, non autem secundum proprium meritum: quia aliud est posse operari, aliud operari: et aliud est, posse habere caritatem; aliud habere caritatem.

**R.** Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriæ induit eum, \* Et ad portas paradisi coronavit eum. **V.** Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum. **Et.**

### Lectio viii

**N**on itaque omnis reparabilis reparatur, nec omnis sanabilis sanatus est: quia reparabilem et sanabilem esse, de natura est; reparatum autem et sanatum esse, de gratia est. Denique isti, quibus secundum modulum capacitatis suæ, quem in eis distributor substantiæ prævidebat, dispar creditus est numerus talentorum, non meriti remunerationem, sed operis accipere materiam.

**R.** Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris: \* Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis. **V.** Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. **Et.** Gloria Patri. **Et.**

### Pro Vigilia S. Joannis Baptistæ:

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam

### Lectio ix Cap. 1, 5-17

**F**uit in diebus Herodis, regis Judææ, sacerdos quidam, nomine Zachariæ, de vice Abiæ et uxor illius de filiabus Aaron, et nomen ejus Elisabeth. Et reliqua.

Homilia sancti Ambrósii  
Episcopi

### Liber 1 in Lucam

**D**ocet nos Scriptura divina non solum mores in iis qui prædicabiles sunt, sed etiam parentes oportere laudari; ut veluti transmissa immaculata puritatis hereditas in iis, quos volumus laudare, præcellat. Quæ enim alia intentio hoc loco sancti Evangelistæ, nisi

### Oratio

**P**ræsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut familia tua per viam salutis incedat; et beati Joannis Præcursoris hortamenta sectando, ad eum quem prædixit, secura perveniat, Dominum nostrum Jesum Christum, Filium tuum: Qui tecum.

Vesperæ de sequenti Festo  
Nativ. S. Joannis Bapt. sine  
Com. diei Octavæ S. Bennonis.

Te Deum laudamus.

### Ad Laudes

**V.** Justum deduxit Dominus per vias rectas. **R.** Et ostendit illi regnum Dei.

**Ad Bened. Ant.** Euge, serve bone \* et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, dicit Dominus.

### Oratio

**D**eus, qui nos beati Bennonis Pontificis confessione gloriosa circumdas et protegis: da nobis, et ejus imitatione proficere, et intercessione gaudere. Per Dominum.

Et fit Commemoratio Vigiliæ S. Joannis Baptistæ:

Ant. et V. de occurrenti hebdomadæ die.

Die 4 Julii

S. Udalrici

Episcopi et Confessoris  
Duplex

**V.** Amavit eum Dominus, et ornavit eum. **R.** Stolam gloriæ induit eum.

**Ad Magnif. Ant.** Sacerdos et Pontifex, \* et virtutum opifex, pastor bone in populo, ora pro nobis Dominum.

### Oratio

**D**eus, qui nos beati Udalrici Confessoris tui atque Pontificis annua solemnitate lætificas: concede propitius; ut, ejus meritis et intercessione, a peccatorum nostrorum periculis liberemur et æternis gaudiis perfrui mereamur. Per Dominum.



Et fit Com. præcedentis S. Leonis II Papæ et Conf.:

**Ant.** Dum esset Summus Pontifex, terræna non méruit, sed ad cælestia regna gloriósus migrávit.

**V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

### Oratio

**G**regem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde: et per beátum Leónem Summum Pontíficem perpétua protectióne custódi; quem totius Ecclésiæ præstitisti esse pastórem. (Per Dóminum nostrum.)

Deinde Commemoratio Octavæ Ss. Petri et Pauli Apostolorum:

**Ant.** Petrus Apóstolus et Paulus Doctor géntium, ipsi nos docuérunt legem tuam, Dómine.

**V.** Constitúes eos príncipes super omnem terram.

**R.** Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

### Oratio

**D**eus, qui hodiérnam diem Apóstolorum tuórum Petri et Pauli mártýrio consecrásti: da Ecclésiæ tuæ, eórum in ómnibus sequi præcéptum; per quos religiónis sumpsit exórdium. Per Dóminum.

## In II Nocturno

### LECTIO IV

Ex gestis, quæ habentur in ecclesia Augustana

**U**dalricus Germánus, Hubáldi cómitis de Dillingen et Kyburg ex Thietbúrga ducis Suevórum filia nobilíssima progénie ortus, a paréntibus non minus religiónis sinceritáte illústribus, quam géneris splendóre claris, ad monastérium sancti Galli missus religiósus cuidam viro ibi erudiéndus tráditur: ubi non solum lítteris, sed et virtútibus ánimam a ténera ætate excólere non destítit, omnique stúdio tímórem Dei, voluntáriam paupertátem, castitátem, et humilitátem ultro ampléxus, hábitum monástickum assumere stáuit. Dei autem providéntia altióri ecclésiæ státui reservátus, ecclésiæ Augustánæ episcopus præfícitur invitús. Quare, ut gregi suo vivum se præbéret exémpulum pietátis, carnem lánea veste castigávit; esu cárnium (parcíssimus alióquin in suméndo cibo) pénitus abstínuit; dormívit parum, ac non super plumas, sed durióre strato

utens, tota intérdum fere nocte in oratióne pèrvigil.

**R.** Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: \* Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitátis non nocébit ei. **Manus.**

### LECTIO V

**I**n divinis láudibus spírítu Dei ita reficiebátur, ut tam ipse, quam álii cum eo psalléntes visiónibus recrearéntur sæpius. In offeréndo étiam sacrosácto Missæ sacrificio frequentíssimus fuit. Mensam suam páuperum præsentia plerúmque decorávit. Nudos vestívit, ægris ac incarcerátis consílio et auxilió subvénit. Totus in oratióne, totus in sacra lectióne, bonis opéribus totus deditus. De vita et morte certórum hóminum, de sanctis hospítibus ad ipsum ventúris, deque multis áliis rebus crebérrimas revelatiónes hábuit. Límina sacra Apóstolorum visitáurus, Romam aliquóties pétiit, aliáque loca sacra íterum atque íterum religiósia peregrinatióne honorávit. Relíquias Sanc-

tórum summo stúdio conquisívit et ad remotíssimas regiónes, ubi eas consequéndi spes esset, illárum desidério quandóque proféctus est, atque impetrátas máxima cóluit veneratióne.

**R.** Pósuí adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: \* Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. **Manus.**

### LECTIO VI

**V**itam ac mores clericórum et laicórum totius diocésis assídus visitatióibus sédulo perscrutabátur. Ecclesiárum persónas, jura, patrimonía árciter deféndit conservávitque. Bellórum motus ac infestatiónes sedávit mirífice. Maximórum príncipum ánimos discórdiis distractos incredíbili dextéritáte conciliávit, pacémque inter Ottónem regem et filium ejus compósuit. Omnibus se hospitélem et benignum exhibuit, ac sóbrium, sanctum, et continéntem juxta Apóstoli doctrínam se præstitit pastórem. Divína quandóque peragénti mystéria adesse

visa est manus virtúte omnipoténtis cum ipso sacris benedicens. Explétis autem in múnere episcopáli quinquaginta annis, vir miræ sanctitátis, largitátis, abstinentiæ et vigilantiæ, diem sui óbitus magno desidério diu exspectatum cognóscens, quarto Nonas Julii, anno salutis nongentésimo septuagésimo tertio, ætatis suæ octogésimo tertio pie obdormívit in Dómino, miraculorum grátia in vita et post mortem illústris, nobile corpus, ornamentum consolatióne plenum, Augústæ relinquens.

**R.** Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: \* Ipse intercédât pro peccátis ómnium populórum. **V.** Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervénit ad cælestia regna. **I**pse. Glória Patri. **I**pse.

In III Nocturno Homilia in Evangelium Homo péregre, de Communi Confessoris Pontificis 1 loco.

### Ad Laudes

**V.** Justum dedúxit Dóminus pèr vias rectas. **R.**

Et osténdit illi regnum Dei.

**Ad Bened. Ant.** Euge, serve bone \* et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constitutam, dicit Dóminus.

### Oratio

**D**eus, qui nos beáti Udalrici Confessoris tui atque Pontificis ánnua solemnitate lætificas: concede propítius; ut, ejus méritis et intercessiône, a peccatórum nostrórum periculis liberémur et ætérnis gaudiis pérfrui mereámur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ Ss. Petri et Pauli App.:

**Ant.** Gloriósi Príncipes terræ, quómodo in vita sua dilexérunt se, ita et in morte non sunt separáti.

**V.** In omnem terram exívit sonus eórum. **R.** Et in fines orbis terræ verba eórum.

### Oratio

**D**eus, qui hodiérnam diem Apostolórum tuórum Petri et Pauli martyrio consecrásti: da Ecclésiæ tuæ, eórum in ómnibus sequi præcéptum; per quos religiónis sumpsit exórdium. Per Dóminum.

Vesperæ a Capitulo de sequenti, Commemoratio præcedentis:

**Ant.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradisi coronávit eum.

**V.** Justum et Oratio Deus, qui nos beati, ut supra 18\*.

Deinde Com. Octavæ:

**Ant.** Petrus Apóstolus et Paulus Doctor géntium, ipsi nos docuérunt legem tuam, Dómine.

**V.** Constitútes eos príncipes super omnem terram. **R.** Mémoires erunt nómínis tui, Dómine.

Oratio Deus, qui hodiérnam, ut supra 18\*.

Die 8 Julii

S. Elisabeth

Reg. Portugalliæ, Viduæ

Duplex

Omnia ut in Breviario, præter ritum.

Et fit Commemoratio

Ss. Chilian Episcopi et Sociorum Martyrum

**In Vesp. Ant.** Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervénérunt ad præmia regni, et lavérunt

stolas suas in ságuine Agni.

**V.** Lætámini in Dómino et exultáte, justi. **R.** Et gloriámini, omnes recti corde.

### Oratio

**D**eus, qui nos concédís sanctórum Mártyrum tuórum Chilianí et Sociórum ejus natalítia cólere: da nobis in ætérna beatitudine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

### Lectio ix

**C**hilianus nóbilis Scotus, in monastério máximam sanctitátis laudem consecútus, inde accítis sibi sóciis Colománo presbýtero et Totnáco diácono Romam profécus, accépta prædicándi licéntia ad Gosbértum, Francóniæ ducem, Wirbúrgum pervénit: ibidémque multis ad fidem convérsis, ei, ut uxórem germáni sui Gailam nómine, matrimónio sibi copulátam, a thoro separátam dimíttere cogitáret, persuásit. Unde hæc furóre succénsa ei insídias parare cœpit; quas ille cognóscens cum sóciis orationibus et jejúniis vacáre non déstitit. Cum igitur

martýrii diem aláriter exspectarent, irruéntibus, cum divinas laudes cánerent, sicáriis ad hoc destinátis, impio gládio trucidáti sunt, et córpora eórum póstea in eódem locó sepulta. **Te Deum.**

**In Laudibus Ant.** Vestri capilli cápitis omnes numeráti sunt: nolíte timére: multis passéribus meliôres estis vos.

**V.** Exsultábunt Sancti in glória. **R.** Lætábúntur in cubilibus suis.

### Oratio

**D**eus, qui nos concédís sanctórum Mártyrum tuórum Chiliáni et Sociórum ejus natalítia cólere: da nobis in æténa beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

Die 9 Julii

**S. Willibaldi**

**Episcopi et Confessoris**

(d. a. ex 7 hujus)

**Semiduplex** (m. t. v.)

**In Vesp. Ant.** Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

**V.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stolam glóriæ induit eum.

### Oratio

**D**eus, qui gloriósum pontificem tuum Willibáldum, Anglórum regni herédem, hodiérna die ad ætéram Angelórum hereditátem transtulisti: concéde propítius; ut, ejus méritis et intercessióne, coherédes ipsíus in tua glória esse mereámur. Per Dóminum nostrum.

### In II Nocturno

**Ex Hodoeporico Willibaldino**

### Lectio iv

**W**illibáldus, Richárdi Anglórum regis filius, a prima infántia rerum cæléstium stúdio et monástica vitæ professióni déditus fuit. Grándior jam factus, desidérium peregrinándi et sancta loca inviséndi concépit. Itaque assumpto in comitátum Richádo patre et Wunibáldo fratre, post vária terra marique ádita perícula, mórtuo Luca in Itália patre, Romam pervénit, et a Gregório secúndo, Pontífice Máximo, amánte et patérne susceptus est: jam tum enim prævidébat sapientíssimus Póntifex, quantus Willibáldus in vínea Dómini excolénda operárius futúrus esset.

**R.** Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: \* Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitátis non nocébit ei. **Manus.**

### Lectio v

**R**omæ límina apostolórum imprímis, deinde ália loca ságuine et miráculis mártýrum nobilitáta religióse visitávit et lustrávit, jejúniis et céteris vitæ asperitátibus semper inténtus. Et, ut Deus fámulum suum accuráte probáret, eum in ardén-tem et diutúrná febrim incidere permísit: ex qua recreátus, Romæ fratre relicto, in Palæstinam trajécit, cujus omnes propémodum urbes et vicos, in quibus áliquis Christi vel Sanctórum miráculis memorábile visebátur, venerabúndus circumívit. Septénnum hæc peregrinátio tenuit, quo témporis spátio étiam Constantinópolim religiónis causa petiit: inde in Italiám revérsus, in monte Cassináte decénnum divíno servítio impéndit; quibus exáctis Romam venit, et a Gregório tertio Pontífice ad sanc-

tum Bonifátium in Germániam missus est.

**R.** Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: \* Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. **Manus.**

### Lectio vi

**Q**uo ubi prospere áppulit, incredibili ardóre in salutem animárum et reformatiónem morum, præcípue cleri, incúbuít: quem non diu post ípsemet sanctus Bonifátius sacerdotío initiávit, et anno Dómini septingentésimo quadragésimo quinto episcopum Eysteténssem consecrávit, cum ipse Willibáldus ágeret ætátis suæ annum quadragésimum primum. Quem episcopátum cum sanctíssime trigínta sex annis ministrasset, tam méritis gravis, quam insígni miraculórum effectióne illústris, hanc mortálem vitam cum immortáli commutávit, anno Christi septingentésimo octogésimo primo, ætátis suæ septuagésimo séptimo: cujus memória, præsertim apud Eystetténses, numquam intermoriétur.

**R.** Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus repléta est: \* Ipse intercédât pro peccatis ómnium populórum. **V.** Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervénit ad cælestia regna. **Ipse. Glória Patri. Ipse.**

In III Nocturno Homilia in Evangelium Ecce, nos reliquimus, de Communi Abbatum 1 loco cum RR. de Communi Confessoris Pontificis.

### Ad Laudes

**V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

**Ad Bened. Ant.** Euge, serve bone \* et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

### Oratio

**D**eus, qui gloriósum pontíficem tuum Wilibáldum, Anglórum regni herédem, hodiérna die ad ætérnam Angelórum hereditátem transtulísti: concéde propítius; ut, ejus méritis et intercessióne, coherédes ipsíus in tua glória esse mereámur. Per Dóminum nostrum.

Vesperæ a Capitulo de sequenti Festo Ss. VII Fratrum Mm. ac Ss. Rufinæ et Secundæ Vv. et Mm., Commemoratio præcedentis:

**Ant.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ induit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

**V.** Justum et Oratio Deus, qui gloriósum, ut supra.

Die 11 Julii

S. Ottonis

Episcopi et Confessoris

(d. a. ex 2 hujus)

Duplex (m. t. v.)

**V.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stolam glóriæ induit eum.

**Ad Magnif. Ant.** Sacerdos et Pontífex, \* et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

### Oratio

**D**a, quæsumus, omnípotens Deus: ut beáti Ottónis Confessoris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotióne nobis áugeat et salútem. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio præcedentis Festi Ss. VII Fra-

trum Mm. ac Ss. Rufinæ et Secundæ Virginum et Martyrum:

**Ant.** Gaudent in cælis animæ Sanctórum, qui Christi vestigia sunt secúti: et quia pro ejus amore sánguinem suum fuderunt, ideo cum Christo exsúltant sine fine.

**V.** Exsultábunt Sancti in glória. **R.** Lætábúntur in cubílibus suis.

### Oratio

**P**ræsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui gloriósos Mártýres fortes in sua confessióne cognóvimus, pios apud te in nostra intercessióne sentiámus. (Per Dóminum nostrum.)

Deinde S. Pii I Papæ et Mart.:

**Ant.** Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit; fundátus enim erat supra firmam petram.

**V.** Glória et honóre coronásti eum, Dómine. **R.** Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

### Oratio

**G**regem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde: et per beátum Pium Mártýrem tuum atque

Nummum Pontíficem perpetua protectióne custódi; quem totius Ecclesiæ præstitisti esse pastórem. Per Dóminum nostrum.

### In II Nocturno

Ex Surio tom. 4

### Lectio iv

**O**tto in Suévia patre Berthóldo cómite, matre vero Sophía, nobilitáte magis quam rerum opuléntia insignibus natus, a prima ætáte litteris tráditus, cum paréntibus orbátus jam grammaticæ præcepta ítemque poétas et philosophos quosdam tenáci memoria complexus esset, nec habéret sump-tus ad stúdia sublimióra necessários, verecúndus adoléscens in Polóniam profectus est, ubi álios docéndo et seípsum magis magisque ad eruditiónis profectum urgéndo brevi sibi et rem auxit familiárem et in honóre hábitus est; idióma quoque illius regiónis didicit sensímque ad altióra progrédiens parsimóniæ, frugalitátis et continéntiæ stúdiis eruditiónem suam illustrávit atque hac ratióne ómnibus carus effectus, magnórum et poténtium virórum ami-

cítiam et familiaritatem contráxit, non parum illi ad eam rem conferente córporis elegántia. Ascítus vero est in aulam Polóniæ ducis, qui eum legátum misit ad Henricum quartum imperátorem.

**R.** Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: \* Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitátis non nocébit ei. **Manus.**

### Lectio v

**E**vénit autem non sine dispositiône divína, ut ad aulam imperatóris perveniret Otto, eidem in ministério capelláni inserviens, Accidit tum, ut imperatóris cancellárius efficerétur. Intérea Ruperto Bambergénsis ecclésiæ epíscopo defuncto preces offerúntur imperatóri pro pastóre constituéndo. Ille vero sex ménsium vóluit sibi spátium permíttere ad deliberándum. Interim ecclésiæ Bambergénsis clerus et pópulus pro idóneo antístite institútis étiam processiónibus Dómino ardentissime deprecábantur. Elápsis sex ménsibus Otto ab imperátore Bam-

bergénsi ecclésiæ invítus præfícitur epíscopus. Qui hac ratióne pontificátus cáthedram scándere coáctus ægre quidem consénsit propter contentiónem illam, quæ erat inter regnum et sacerdotium causa investitúræ et electiόνum ecclésiárum, quas evacuáre sibique vindicáre plus æquo nitebátur imperiális auctóritas. Rursus autem verebátur, non sine divinitátis nutu jam tertium sibi offerri episcopátum eúmque si repudiáret, posse in se compétere illam senténtiam: Nóluit benedictiónem et elongábitur ab eo. Inter has ergo angústias pósitus Otto, quod unum salutáre existimábat, votum nuncupávit Dómino, numquam se in episcopátu permansúrum, nisi consentiente ecclésiá sua ipsius Pontificis Máximi manu et consecrári et investitúram cónsequi mererétur.

**R.** Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi electúm de plebe mea: \* Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. **Manus.**

### Lectio vi

**I**taque Bambergam honorífice dedúctus nec non a clero et pópulo processionáliter magna cum pompa et exultatióne susceptus líttas misit ad Paschálem Summum Pontíficem, a quo per líttas evocátus Romam profíciscitur, ubi pedum et ánnulum ab imperátore acceptos ad pontíficis pedes depónit véniam petens. Et cum plena deliberatióne abdicátis ómnibus privátus et quiétus secum vívere decernens cúriæ valedixit, unius diéi itínere confécito pontíficis mandáto revocátur et invocáto Spíritu Sancto ab eódem accepta investitúra cum exultatióne totiús cúriæ in ipso sacratíssimo Pentecóstes die inter Missárum solémnia epíscopus consecrátur. In episcopátu multa successóribus reliquit miræ sanctitátis incredibilisque frugalitátis ac parsimóniæ exéempla. Cum dénique in exstruendis, ornándis, dotándis, fundándis reparandisque plúrimis ecclésiis ac monastériis tanta munificéntia clarúisset, ut mirán-

dum mérito sit, ab uno epíscopo tot locis tam multa potuisse conférri, innumerámque fere multitudinem Pomeranórum ad Christi fidem convertisset, beáto tandem fine quíevit et in beáti Michaélis ecclésiá sepúltus est anno salutis millésimo centésimo trigésimo nono, tertio Nonas Júlii, episcopátus sui anno trigésimo séptimo. Translátum est autem ejus corpus anno millésimo centésimo octogésimo nono, pridie Kalédas Octóbris, quo die festum plerúmque étiam ejus celebrátur.

**R.** Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: \* Ipse intercedát pro peccátis ómnium populórum. **V.** Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervénit ad cælestia regna. **Ipse.** Glória Patri. **Ipse.**

### In III Nocturno

Lectio sancti Evangélii secundum Lucam

### Lectio vii Cap. 11, 33-36

**I**n illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nemo lucernam accéndit et in abscondito ponit neque

sub módio, sed supra candelábrum, ut, qui ingrediúntur, lumen vídeant. Et reliqua.

Homília sancti Ambrósii  
Episcopi

Lib. 7 comment. in Lucam  
cap. 11

**Q**uia in superióribus ecclésiám synagógæ prætulit, hortátur nos, ut fidem pótius nostram ad ecclésiám transferámus. Lucérna enim fides est, juxta quod scriptum est: Lucérna pédibus meis verbum tuum, Dómine. Verbum enim Dei fides nostra est: Verbum Dei lux est. Lucérna est fides. Erat lux vera, quæ illúminat omnem hóminem veniéntem in hunc mundum. Lucérna autem lucére non potest, nisi aliúnde lumen accéperit.

**R.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ induit eum, \* Et ad portas paradísi coronávit eum. **V.** Induit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum. **Et.**

Lectio viii

**H**æc est lucérna, quæ accénditur, virtus scilicet nostræ méntis et sensus, ut drachma illa pos-

sit, quæ perierat, reperiri. Nemo ergo fidem sub lege constituat. Lex enim intra mensúram est, ultra mensúram grátia: lex obúbrat, grátia clarificat. Et ideo nemo fidem suam intra mensúram legis inclúdat, sed ad ecclésiám cónferat, in qua septifórmis Spíritus relúcet grátia, quam princeps ille sacerdotum fulgóre superñæ divinitátis illúminat, ne eam legis umbra restínguat.

**R.** Sint lumbi vestri præcincti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: \* Et vos símiles homínibus exspectántibus dómimum suum, quando revertátur a núptiis. **V.** Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. **Et.** Glória Patri. **Et.**

Lectio IX de S. Pio I Papa  
et Mart., ut in Breviario.

Ad Laudes

**V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

**Ad Bened. Ant.** Euge, serve bone \* et fidélis, quia in pauca fuisti fidélis, supra multa te constituam, dicit Dóminus.

Oratio

**D**a, quæsumus, omnípotens Deus: ut beáti Ottónis Confessorís tui atque Pontificis veneránda solémnitas, et devotióne nobis áugeat et salútem. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio S. Pii I  
Papæ et Martyris:

**Ant.** Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

**V.** Justus ut palma florébit. **R.** Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio

**G**regem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde: et per beátum Pium Mártirem tuum atque Summum Pontíficem perpétua protectiõe custódi; quem totíus Ecclésiæ præstitisti esse pastórem. Per Dóminum nostrum.

Vesperæ a Capitulo de sequenti Festo S. Joannis Gualberti Abb.:

**V.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stolam glóriæ induit eum.

**Ad Magnif. Ant.** Similábo eum \* viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

Oratio

**I**ntercéssio nos, quæsumus, Dómine, beáti Joánnis Abbátis comméndet: ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocinio assequámur. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio præcedentis:

**Ant.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ induit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

**V.** Justum et Oratio Da, quæsumus, ut supra.

Deinde Commemoratio Ss. Naboris et Felicis Mm.:

**Ant.** Istórum est enim regnum cælórum, qui contempserunt vitam mundi, et pervenerunt ad præmia regni, et laverunt stolas suas in ságuine Agni.

**V.** Lætámini in Dómino et exsultáte, justi. **R.** Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio

**P**ræsta, quæsumus, Dómine: ut, sicut nos sanctorum Mártirum tuorum Naboris et Felicis natalitia celebránda non deserunt; ita júgiter súffragiis comiténtur. Per Dóminum nostrum.

Die 15 Julii

**S. Henrici**

Imperatoris, Confessoris

Duplex majus

Omnia ut in Breviario, præter ritum.

In II Vesperis fit Commemoratio seq. Festi B. M. V. de Monte Carmelo.

Completorium de Feria.

Die 17 Julii

**B. Irmengardis**

Virginis

Duplex

**Ant.** Veni, Sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in ætérnum.**V.** Spécie tua et pulchritudine tua. **R.** Inténde, prospere procéde, et regna.**Oratio****D**ómine Jesu, qui beatam Irmengárdem Virgínam tuam mundi delicias despícere et nómini tuo benedicere fecisti: præsta, quæsumus; ut ejus intercessióne ómnibus diébus vitæ nostræ tibi placeamus. (Qui vivis.)**Deinde Commemoratio S. Alexii Conf.:****Ant.** Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.**V.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stolam glóriæ índuit eum.**Oratio****D**eus, qui nos beáti Alexii Confessoris tui ánnua solemnitate lætificas: concéde propítius; ut, cujus natalítia cólimus, étiam actióne imitémur. Per Dóminum nostrum.**Ad Matutinum****In II Nocturno****Lectio iv****I**rmengárdis nobilibus patrénibus, rege Ludovico Teutónico et Hemma, orta, jam a téneris annis futuræ sanctitátis spécimen dedit. Vix infántia egréssa, paréntibus, soróribus et amicis Virgínium Sponsi ita consuefudinem prætulit, ut deliciis sæculi ac aulæ régiæ pompis valeddicens, paréntum consensu, divino se servitio totam addixit. Monastérium Buchaviénse, quod primum a régio patre impetrávit, per plures annos, uti vetus refert traditio, sanctis móribus consecrávit. Demum abbátiam Chieménsem, moniálium sub régula sancti Benedicti militántium, quam a

patre pæne collápsam accépit, feliciter instaurávit.

**R.** Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: \* Et dedúcet te mirabiliter dextera tua. **V.** Spécie tua et pulchritudine tua inténde, prospere procéde, et regna. **Et.****Lectio v****I**bídem, tamquam in horto et viridário Dei stábilém fixit moram, et virgínibus sodálibus omnibono ópere prælúxit. Jéjuniis, vigiliis, oratióibus simulque caritátis in egénos et misericórdiæ opéribus, inter calamitátes illius témporis Deum propítium réddere satagébat. Magistra simul et abbátissa, monásticæ perfectiósni forma facta, multas sibi virgínes sociávit: unde méruít elógium Gerárdi, abbátis Seeonénsis, quod „ovile suum dedúxit ad Agnum, Agno dans plures virgínes cómites, sanctis cara Deo méritis, eximíis úndique plena bonis, sponsa spona dicáta Deo“.**R.** Dilexisti justítiam, et odisti iniquitátem: \* Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætitiæ. **V.** Propter veritátem, etmansuetúdinem, et justítiam. **Proptérea.****Lectio vi****I**ta Dei fámula Irmen-gárdis paucis vitæ annis multa explévit tépora. Unde, méritis plena, arcánam quandam Sponsi vocem áudiens „veni, sponsa“, ad cæléstes divini Agni núptias evolávit, décimo sexto mensis Júlii, anni octingentésimi sexagésimi sexti, atátis suæ anno trigésimo quarto. Ejus vero corpus in ecclésia abbátie Chieménsis honorífice depósitum fuit. Fidélium pópulus mox Fámulam Dei invocáre et venerári cõpit ejúsque ope supérnos haud paucos favóres impetrávit. Anno ígitur quarto supra millésimo, ítemque sexto décimo sæculo, mortáles ejus reliquiæ magno pópuli concúrso elevátæ et honorífice cõnditæ sunt. Cultum vero beátæ Abbátissæ, per úndecim et ámplius sæcula exhibitum, instántibus totius Germániæ episcopis et Baváricæ natiónis fidéli pópulo, Pius Papa undécimus Sacrórum Rítuum Congregatiónis decréto ratum hábuit et confirmávit.

**R.** Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus \* Afferéntur tibi in lætítia et exsultátione. **V.** Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. **Afferéntur tibi. Glória Patri. Afferéntur tibi.**

In III Nocturno Homilia in Evangeliam Simile erit regnum cælórum decem virgíni-bus, de Comuni Virgínum 1 loco.

Pro S. Alexio Conf.:

### Lectio ix

**A**léxius, Romanórum nobilíssimus, propter exímium Jesu Christi amórem prima nocte nuptiárum peculiári Dei nómitu relínquens intáctam sponsam, illústrium orbis terræ ecclesiárum peregrinátionem suscepit. Quibus in itinéribus cum ignótus septémdecim annos fuisset, aliquándo apud Edésam, Sýriæ urbem, per imáginem sanctíssimæ Mariæ Virgínis, ejus nómine divulgáto, inde navi discessit. Ad portum Románum appúlsus, a patre suo tamquam aliénus pauper hospítio accípitur; apud quem, ómnibus incógnitus, cum decem et septem annos vixisset, relicto

scripto sui nóminis, sán-guinis, ac totíus vitæ cursus, migrávit in cælum, Innocéntio primo Summo Pontífice.

**Te Deum laudámus.**

### Ad Laudes

**V.** Diffúsa est grátia in lábiis tuis. **R.** Propterea benedíxit te Deus in ætérnum.

**Ad Bened. Ant.** Simile est regnum cælórum \* hómini negotiátóri quærénti bonas margarítas: invénta una pretiósá, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

### Oratio

**D**ómine Jesu, qui beátam Irmengárdem Virgí-nem tuam mundi delicias despícere et nómini tuo benedícere fecísti: præsta, quæsumus; ut ejus intercessióne ómnibus diébus vitæ nostræ tibi placeámus: Qui vivis et regnas.

Et fit Commemoratio S. Alexii Conf.:

**Ant.** Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

**V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

### Oratio

**D**eus, qui nos beáti Alexii Confessóris tui ánnua solemnitate lætíficas: concéde propítius; ut, cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dóminum nostrum.

Vesperæ a Capitulo de sequenti, Commemoratio præcedentis:

**Ant.** Veni, Sponsa Christi, áccipe coronam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

**V.** Diffúsa et Oratio Dómine Jesu, ut supra ad Laudes 30\*.

Deinde Commemoratio S. Alexii:

**Ant.** Hic vir despícens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cón-didit ore, manu.

**V.** Justum et Oratio Deus, qui nos beáti, ut supra.

Postea Ss. Symphoræ et septem Filiorum ejus Mm.:

**Ant.** Istórum est enim regnum cælórum, qui contempserunt vitam mundi, et pervenerunt ad præmia regni, et laverunt stolas suas in ságuine Agni.

**V.** Lætámini in Dómino et exsultáte, justi. **R.** Et gloriámini, omnes recti corde.

### Oratio

**D**eus, qui nos concédís sanctórum Mártyrum tuórum Symphoræ et filiórum ejus natalítia cólere: da nobis in ætérna beatítudine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum nostrum.

Die 22 Julii

Pro Commemorazione S. Laurentii a Brundusio Confessoris

In Vesp. **Ant.** Similábo eum viro sapiénti, qui edificávit domum suam supra petram.

**V.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stolam glóriæ índuit eum.

### Oratio

**D**eus, qui ad árdua quæque pro nóminis tui glória et animárum salúte beáto Lauréntio Confessóri tuo spíritum consilii et fortítudinis contulísti: da nobis in eódem spíritu et agénda cognóscere; et cón-gnita ejus intercessióne perficere. Per Dóminum.

### Lectio ix

**L**auréntius piis et honoratis parentibus Brundúsi natus a puerítia certíssima Apostólici zeli documénta édedit, cum sæpe



verba salutis ad circumfusam multitudinem fecit. Seraphicum Capuccinorum ordinem ingressus humilitate et obediencia omnibus antecelluit. Exacto tirocinio sacris litteris deditus non modo philosophicas et theologicas disciplinas, sed linguas etiam Græcam, Hebræicam, Chaldæicam, Germanicam, Gallicam, Hispanicam ita didicit, ut his linguis contionari posset. Sacerdos consecratus se totum procurandæ animarum salutis devovit. Totam fere Europam peragravit. Omne hominum genus complexus est, omnibus omnia factus, ut omnes Christo lucrificeret. Christi Domini passionis et Deiparæ Virginis Mariæ, cui singulare illud linguarum donum referbat acceptum, cultor insignis fuit. Cordium intima penetravit, absentia et futura prospexit, miraculis et prodigiis enituit. Demum laboribus attritus Ulyssopone sacramentis omnibus summa devotione susceptis discessit e vita, die vigesima secunda Julii, anno millésimo sexcentésimo décimo nono; clarusque

miraculis a Leone décimo tertio die octavo Decembris anni millésimi octingentésimi octogésimi primi Sanctorum albo sollemniter adscriptus est.

**Te Deum laudamus.**

**In Laudibus Ant.** Euge, serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constitutum, intra in gaudium Domini tui.

**V.** Justum deduxit Dominus per vias rectas. **R.** Et ostendit illi regnum Dei.

### Oratio

**D**eus, qui ad ardua quæque pro nominis tui gloria et animarum salute beato Laurentio Confessori tuo spiritum consilii et fortitudinis contulisti: da nobis in eodem spiritu et agenda cognoscere; et cognita ejus intercessione perficere. Per Dominum nostrum.

Die 31 Julii

**Pro Commemoratione S. Bathonis Confessoris**

**In Vesperis Ant.** Euge, serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constitutum,

intra in gaudium Domini tui.

**V.** Justum deduxit, ut supra 32\*.

### Oratio

**D**eus, qui nos beati Bathonis Confessoris tui annua solemnitate lætificas: concede propitius; ut, cujus natalitia colimus, etiam actiones imitemur. Per Dominum nostrum.

**In Laudibus Ant.** Similabo eum viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram.

**V.** Amavit eum Dominus, et ornavit eum. **R.** Stolam gloriæ induit eum.

Die 9 Augusti

**S. Afræ Martyris**

(d. a. ex 5 hujus)

### Duplex

**V.** Spécie tua et pulchritudine tua. **R.** Intende, prospere procede, et regna.

**Ad Magnif. Ant.** Simile est regnum cælorum \* homini negotiatori quærenti bonas margaritas: inventa una pretiosa, dedit omnia sua, et comparavit eam.

### Oratio

**C**oncede, misericors Deus, ut beata Afræ, quæ martyrii promeruit pal-

lam, intercessionibus suis et presentis vite nobis remedia conferat et æternam salutem. Per Dominum nostrum.

**Et fit Commemoratio Festi præcedentis Ss. Cyriaci et Sociorum Martyrum:**

**Ant.** Gaudet in cælis animæ Sanctorum, qui Christi vestigia sunt secuti: et quia pro ejus amore sanguinem suum fuderunt, ideo cum Christo exsultant sine fine.

**V.** Exsultabunt Sancti in gloria. **R.** Laetabuntur in cubilibus suis.

### Oratio

**D**eus, qui nos annua sanctorum Martyrum tuorum Cyriaci, Largi et Smaragdi solemnitate lætificas: concede propitius; ut, quorum natalitia colimus, virtutem quoque passionis imitemur. (Per Dominum nostrum.)

**Deinde S. Joannis M. Vianney Conf.:**

**Ant.** Similabo eum viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram.

**V.** Amavit eum Dominus, et ornavit eum. **R.** Stolam gloriæ induit eum.

## Oratio

**O**mnípotens et miséricors Deus, qui sanctum Joánnem Mariam pastoráli stúdio et jugi orationis ac pœnitentiæ ardóre miráblem effectísti: da, quæsumus; ut, ejus exémplo et intercessióne, ánimas fratrum lucrári Christo, et cum eis ætérnam glóriam cónsequi valeámus. (Per eúndem Dóminum nostrum.)

Postea S. Romani Martyris:

**Ant.** Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit; fundátus enim erat supra firmam petram.

**V.** Glória et honóre coronásti eum, Dómine. **R.** Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

## Oratio

**P**ræsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, intercedente beáto Románo Mártire tuo, et a cunctis adversitatibus liberémur in corpore, et a pravis cogitationibus mundémur in mente. Per Dóminum.

In II Nocturno

## Lectio iv

**S**æviénte in christiános persecutióne Diocle-

tiáni, Narcíssus episcopus Augústam Vindelicórum venit prófugus, et nésciens ubi divérteret, ad Afram mulierem pagánam forte ingræssus est cum diácono suo Felíce: quæ sibi cónsicia de públicæ impudicitia nota, primum eos turpitúdinis stúdio eo deflexisse ráta, cœnam pro more instrúxit opíparam. Porro episcopus, cum ad suméndum cibum accessisset, et primum toto corpore, vultu, oculisque ad orationem se compóneret, illa, cui omnis orándi consuetúdo non modo incóg-nita, sed ne visa quidem esset, insólita pietáte stupefacta inquisívit, quis esset; cumque christianórum episcopum esse cognovisset, eúmque tota nocte in hymnis et Dei láudibus cum diácono suo per-vigilem, et claríssima luce cælitus demíssa habitaculum illuminátum, simúlque viri admirábilem mansuetúdinem et sanctitátem observásset: mox salutári pudóre suffúsa et timóre páriter corrèpta ad ejus pedes se abjécit, ac impudicitia labem ultro est confessa.

## Lectio vi

**R.** Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: \* Et dedúcet te mirabiliter dèxtera tua. **V.** Spécie tua et pulchritú-dine tua inténde, prospere procéde, et regna. **Et.**

## Lectio v

**A**d tantæ humilitátis vocem Narcíssus prótinus Jesu Christi bonitátem verbis leníssimis ipsi explicávit, hortátusque, ut impudico ac flagitióso vitæ genere relicto Christi grátiam quæreret. Quibus effécit, ut prióris vitæ pertæsa ad matrem suam Hiláriam abiret, et antístitis mónita ac ánimo sui propósitum aperiret. Cum qua póstea, expiátis sacro baptísmate vétèris vitæ delictis, christiána sacra una cum univèrsa família suscepit, et ab infelici dæmonis servitúte ad Christi stipéndia transívit, eo ipso tẽpore, quo Augústæ atrocíssima sæviébat in Christi fidèles persecútió.

**R.** Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: \* Prop-tèrea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætitiæ. **V.** Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. **Proptèrea.**

**A**fra ígitur, ob vitæ transi-actæ famam notíssi-ma, inter álios christiános et ipsa ad quæstiónem evocáta, Cajo júdici, qui eam a fidei christiánae professione avértere, ac primum blandítiis et promissis. deínde étiam minis, ut Véneris sacra repéret, persuadáere nitebátur, se ob flagítia perpetráta a Christo mínime suscepam iri; impropéránti respóndet intrépide, se parátam, omni tormentórum atrocitáti corpus, quo diu ad omnípoténtis Dei injúriam abúsa frúisset, súbdere; neque Christum peccatórum mortem velle, sed pro sua benignitáte et misericórdia fáci-le cuivis ad meliorem frugem redeúnti ignóscere. Quibus audítis, cum judex intelligeret, eam a tanta ánimo erga Deum fidúcia abdúci nulla ratióne posse flammis eam ad-júdicat. Ministri ígitur rápiunt ipsam in Lyci insulam et ad palum alligant: ubi subjéctis úndique sarméntis brevíssimo ignia supplicio ad ætérna cælestis patriæ gáudia tans-láta est. Ejus corpus ab

ignis incéndio nihil læsum miraculisque clarum Augústæ in æde sancti Udalrici requiescit.

**R.** Fallax grátia, et vana est pulchritúdo: \* Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. **V.** Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus. **Múlier.** Glória Patri. **Múlier.**

In III Nocturno Homilia in Evangelium Simile est regnum cælórum thesáuro, de Comuni non Virginum.

Pro Vigilia S. Laurentii Mart.:

Léctio sancti Evangelii secundum Matthæum

Lectio ix Cap. 16, 24-27

In illo témpore: Dixit Jesus discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Et reliqua.

Homilia sancti Gregórii Papæ

Homilia 32 in Evangelium

Quia Dóminus ac Redemptor noster novus homo venit in mundum, nova præcepta dedit mundo. Vitæ etenim nostræ veteri in vitiis enutritæ contrarietatem opposuit

novitátis suæ. Quid enim vetus, quid carnális homo nóverat, nisi sua retinere, aliéna rapere, si posset; concupiscere, si non posset? Sed cælestis medicus singulis quibusque vitiis obviántia ádhibet medicaménta. Nam sicut arte medicínæ cálida frigidis, frígida cálidis curántur: ita Dóminus noster contrária oppósuit medicaménta peccátis, ut líbricis continéntiam, tenácibus largitatem, iracúndis mansuetúdinem, elátis præcíperet humilitátem.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

**V.** Diffúsa est grátia in lábiis tuis. **R.** Propterea benedixit te Deus in ætérnum.

**Ad Bened. Ant.** Date ei \* de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.

Oratio

**C**oncede, miséricors Deus, ut beáta Afræ, quæ martýrii proméruiit palmam, intercessiónibus suis et præsentis vitæ nobis remédia cónferat et ætérnam salútem. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio S. Joannis M. Vianney Conf.:

**Ant.** Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constitúam, intra in gáudium Dómini tui.

**V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

**O**mnípotens et miséricors Deus, qui sanctum Joánnem Mariam pastoráli studio et jugi orationis ac pœniténtiæ ardóre miráblem effecísti: da, quæsumus; ut, ejus exémplo et intercessióne, ánimas fratrum lucrári Christo, et cum eis ætérnam glóriam cónsequi valeámus. (Per eúndem Dóminum nostrum.)

Deinde Commemoratio Vigiliæ S. Laurentii Mart.:

Antiphona et Versus de Feria currenti, ut in Psalterio.

Oratio

**A**déstó, Dómine, supplicatióibus nostris: et intercessióne beáti Laurentii Mártiris tui, cujus prævenimus festivitátem; perpétuam nobis misericórdiam benignus impénde. (Per Dóminum.)

Postea S. Romani Mart.:

**Ant.** Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

**V.** Justus ut palma florébit. **R.** Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio

**P**ræsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, intercedente beáto Románo Mártire tuo, et a cunctis adversitatibus liberémur in corpore, et a pravis cogitatióibus mundémur in mente. Per Dóminum nostrum.

Vesperæ de S. Laurentio Martyre, Commemoratio præcedentis:

**Ant.** Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas extendit ad páuperem, et panem otíosa non comédit.

**V.** Diffúsa et Oratio Concede, ut supra 36\*.

Deinde S. Joannis M. Vianney Conf.:

**Ant.** Hic vir despiciens mundum et terréna, triúmphans, divitias cælo cóndidit ore, manu.

**V.** Justum et Oratio Omnípotens, ut supra.

Die 11 Augusti

S. Justini

Presbyteri et Martyris

(d. a. ex 17 Sept.)

Duplex

**Ant.** Iste Sanctus pro lege Dei sui certavit usque ad mortem, et a verbis impiorum non timuit; fundatus enim erat supra firmam petram.

**V.** Glória et honóre coronáti eum, Dómine. **R.** Et constituisti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio

**P**ræsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut, incedente beato Justino Mártire tuo, et a cunctis adversitatibus liberemur in corpore, et a pravis cogitationibus mundemur in mente. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

**J**ustinus presbyter et martyr tempore Valeriani non modo gentiles plurimos ad fidem christianam convertit, verum etiam sacra mártirum corpora sepulturæ tradidit. Nam imprimis sanctissimum beati Laurentii corpus, a Valeriano in craticula relictum, una cum

Hippólito inde eréptum in agro Veráno sepelivit. Quod pietatis opus postmodum etiam ipsius Hippóliti et totius ejus familiaræ martýrio affectæ corporibus, in campo juxta Nympham relictis exhibuit.

**R.** Honéstum fecit illum Dóminus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductóribus tulit illum: \* Et dedit illi claritatem ætérnam. **V.** Descendit que cum illo in fóveam, et in vinculis non dereliquit eum. **Et.**

Lectio v

**Q**uo tempore Tryphonia Dècii quondam uxor, occulta Sancti Spiritus grátia impulsæ et lumine veritatis mirabiliter illustrata, ad Justinum cum Cyrilla filia abiit, ab eoque ad fidem christianam conversa et cælesti lavacro lustrata fuit. Cujus exemplo sex et quadraginta milites permoti ad beatum Justinum cum uxóribus et liberis venerunt, prostratique ad ejus pedes nómína Christo dedere. His auditis Cláudius princeps Cyrillam et milites comprehendit et último afflicti precépio præcepit.

suit super caput ejus. **V.** Cibavit illum Dóminus pane vite et intellectus; et aqua sapientiæ salutaris potávit illum. **Et.** Glória Patri. **Et.**

In III Nocturno Homilia in Evangelium Si quis vult de Communi unius Mart. 2 loco.

Pro Ss. Tiburtio et Susanna Virg., Mm.:

Lectio ix

**T**ibúrtius, Chromátii præfècti Urbis filius, sancti Sebastiani ópera Christiánus, cum ob eam causam ad Fabianum júdicem addúctus esset mûltaque apud illum de Christi fide prædicáret, excandescens júdex pavimentum candéntibus carbónibus sterni jubet. Mox, Tibúrti, inquit, vel diis nostris sacrifices opórtet, vel per istos carbónes nudis pèditibus tibi incedéndum est. At ille, crucis signo se múnies, fidenterque ambulans in pruna, Disce, inquit, ex hoc solum esse Deum, quem Christiáni colunt; prunæ enim mihi flores vidéntur. Quod cum mágicis ártibus tribueretur, extra Urbem ductus Tibúrtius, ac via Lavicána tértio ab Urbe lápide gládio percússus, ibi a

**R.** Desidérium ánimæ ejus tribuisti ei, Dómine, \* Et voluntáte labiòrum ejus non fraudásti eum. **V.** Quóntiam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuisti in cápite ejus corónam de lápide pretioso. **Et.**

Lectio vi

**N**on multo post Justinus, confessiónis glória insignis, sub eodem Cláudio martýrium consummávit. Cujus venerandas reliquias anno post Christum natum octingentesimo trigésimo quarto Kalendis Júlii Hísto episcopus Frisingensis Romæ a Gregório quarto Patre post instantissimas preces obtinuit, easque una cum sancti Alexandri Frisingam addúxit; quæ multis et magnis miraculis infirmitate claruerunt. Nam tertiana et quartana febre laborantes sanati sunt. Quiddam etiam mente captus incólumis est effectus. Cæcus etiam per manum tractus ad fœtrem lumen recepit.

**R.** Stola jucunditatis induit eum Dóminus: \* Et corónam pulchritudinis põ-

Christiánis sepelitur. Quo die Susánna, virgo nobilíssima, quod Galérii Maximiani, filii Diocletiani imperatoris, conjúgium recusáret, ut quæ virginitátem Deo vóverat; post multa tormentórum génera, quibus várie tentátum est sanctum Vírginis propositum, domi suæ, jussu imperatoris, gládio percússa, ad duplex virginitátis et martýrii præmium migrávit in cælum.

**Te Deum laudámus.**

### Ad Laudes

**V.** Justus ut palma florébit. **R.** Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

**Ad Bened. Ant.** Qui odit \* ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

### Oratio

**P**ræsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, intercedente beáto Justino Mártýre tuo, et a cunctis adversitatibus liberémur in corpore, et a pravis cogitationibus mundémur in mente. Per Dóminum.

**Et fit Commemoratio Ss. Tiburtii et Susannæ Virg., Mm.:**

**Ant.** Vestri capilli cápitis omnes numeráti sunt:

nolite timére: multis paséribus meliôres estis vos.

**V.** Exsultábunt Sancti in glória. **R.** Lætabúntur in cubilibus suis.

### Oratio

**S**anctorum Mártýrum tuorum Tibúrtii et Susannæ nos, Dómine, foveant continuáta præsidia: quia non désinis propítius intuéri; quos tali-bus auxiliis concésseris adjuvári. Per Dóminum.

**Vesperæ a Capitulo de sequenti Festo S. Claræ Virginitis, Commemoratio præcedentis:**

**Ant.** Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

**V.** Justus **et Oratio** Præsta, **ut supra.**

Die 2 Septembris

S. Nonnosi Abbatis

Patroni minus principalis  
Archidiœcesis

Duplex majus

**V.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stolam glóriæ índuit eum.

**Ad Magnif. Ant.** Similábo eum \* viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

Die 15 Augusti

# IN ASSUMPTIONE B. M. V.

Duplex I classis cum Octava communi

Omnia de Communi Festorum B. Mariæ Virginis, præter ea quæ hic habentur propria.

## IN I VESPERIS

**Ant. 1** Assumpta est Mariâ in cælum: \* gaudent Angeli, laudantes benedicunt Dóminum.

**2** Mariâ Virgo assumpta est \* ad æthéreum thálammum, in quo Rex regum stelláto sedet sólio.

**3** In odórem \* unguentórum tuórum cúrrimus: adolescéntulæ dilexérunt te nimis.

**4** Benedícta \* filia tu a Dómino: quia per te fructum vitæ comunicávimus.

**5** Pulchra es \* et decóra, filia Jerúsalem, terríbilis ut castrórum ácies ordináta.

**Capit. Judith 13, 22 et 23**

**B**enedixit te Dóminus in virtúte sua, quia per te ad níhilum redégit inimícos nostros. Benedícta es tu, filia, a Dómino Deo excélso, præ

ómnibus muliéribus super terram.

## Hymnus

**O** prima, Virgo, pródita  
E Conditóris spírítu,  
Prædestináta Altíssimi  
Gestáre in alvo Fílium;

Tu perpes hostis fémina  
Prænuntiáta dáemonis,  
Oppléris una grátia  
Intamináta origine.

Tu ventre Vitam cóncipis,  
Vitámque ab Adam pérditam,  
Diæ litándæ Víctimæ  
Carnem mínistrans, íntegras.

Merces piáclo débita,  
Devícta mors Te désérit,  
Almíque consors Fílii  
Ad astra ferris córpore.

Tanta corúscans glória,  
Natúra cuncta extóllitur,  
In Te vocáta vérticem  
Decóris omnis tángere.

Ad nos, triúmphans, éx-sules,  
Regína, verte lúmina,  
Cæli ut beátam pátriam,  
Te, consequámur, áuspice.

Jesu, tibi sit glória,  
Qui natus es de Virgine,  
Cum Patre et almo Spirítu  
In sempitérna sæcula.  
Amen.

**V.** Exaltáta est sancta  
Dei Génitrix. **R.** Super  
choros Angelórum ad cæ-  
léstia regna.

**Ad Magnif. Ant.** Virgo  
prudéntissima, \* quo pro-  
gréderis, quasi auróra val-  
de rútilans? Fíliã Sion,  
tota formósa et suávis es,  
pulchra ut luna, elécta ut  
sol.

### Oratio

**O**mnípotens sempitérne  
Deus, qui immaculá-  
tam Virginem Mariám, Fí-  
lii tui Genitricem, córpore  
et ánima ad cæléstem glóri-  
am assumpsísti: concé-  
de, quæsumus; ut, ad su-  
pérna semper inténti, ip-  
sius glóriæ mereámur esse  
consórtes. Per eúndem  
Dóminum nostrum.

### AD MATUTINUM

**Invit.** Veníte, adorémus  
Regem regum, \* Cujus  
hódie ad æthéreum Virgo  
Mater assúpta est cæl-  
lum.

**Ps. 94** Veníte, exsulté-  
mus.

### Hymnus

**S**urge! Jam terris fera  
bruma cessit,  
Ridet in pratis decus om-  
ne florum,

Alma quæ Vitæ Génitrix  
fuísti,  
Surge, Mariá!

Lílium fulgens velut in  
rubéto,  
Mortis auctórem teris una,  
carpens  
Sóntibus fructum pátri-  
bus negátum  
Arbore vitæ.

Arca non putri fabricáta  
ligno  
Manna tu servas, fluit un-  
de virtus,  
Ipsa qua surgent animáta  
rursus  
Ossa sepúlcris.

Præsídís mentis dócilis  
ministra,  
Haud caro tabo pátitur  
resólvi;  
Spirítus imo sine fine  
consors  
Tendit ad astra.

Surge! Dilécto pete nixa  
cælum,  
Sume consértum diadéma  
stellis,  
Teque natórum récinens  
beátam  
Excipe carmen.

Laus sit excélsæ Triadi  
perénnis,  
Quæ Tibi, Virgo, tríbuit  
corónam,  
Atque regínam statúitque  
nostram  
Próvida matrem. Amen.

### In I Nocturno

**Ant. 1** Exaltáta est \*  
sancta Dei Génitrix super  
choros Angelórum ad cæl-  
léstia regna.

**Ant. 2** Paradísi portæ \*  
per te nobis apértæ sunt,  
quæ hódie gloriósa cum  
Angelis triúmphas.

**Ant. 3** Benedícta tu \* in  
mulieribus, et benedíctus  
fructus ventris tui.

**V.** Exaltáta est sancta  
Dei Génitrix. **R.** Super  
choros Angelórum ad cæl-  
léstia regna.

De libro Génesis

### Lectio i Cap. 3, 9-15

**V**ocavítque Dóminus  
Deus Adam, et dixit  
ei: Ubi es? Qui ait: Vo-  
cem tuam audívi in pa-  
radíso; et tímui eo quod  
nudus essem, et abscondi  
me. Qui dixit: Quis enim  
indicávit tibi quod nudus  
esses, nisi quod ex ligno  
de quo præcéperam tibi  
ne coméderes, comedísti?  
Dixitque Adam: Múlier,  
quam dedísti mihi sóci-

am, dedit mihi de ligno,  
et comédi. Et dixit Dómi-  
nus Deus ad mulierem:  
Quare hoc fecísti? Quæ  
respóndit: Serpens decé-  
pit me, et comédi. Et ait  
Dóminus Deus ad serpén-  
tem: Quia fecísti hoc, ma-  
ledíctus es inter ómnia  
animántia et béstias ter-  
ræ; super pectus tuum  
gradiéris, et terram có-  
medes cunctis díebus vi-  
tæ tuæ. Inimicítias po-  
nam inter te et mulierem,  
et semen tuum et semen  
illíus; ipsa cónteret caput  
tuum, et tu insidiaberis  
calcáneo ejus.

**R.** Vidi speciósam sicut  
colúmbam, ascendéntem  
désuper rivos aquárum,  
cujus inæstimábilis odor  
erat nimis in vestiméntis  
ejus; \* Et sicut dies verni  
circúmdabant eam flores  
rosárum et lília convállium.  
**V.** Quæ est ista quæ  
ascéndit per désertum sic-  
ut vírgula fumi ex aromá-  
tibus myrrhæ et thuris?  
**E**t sicut.

De Epístola prima  
beáti Pauli Apóstoli  
ad Corínthios

### Lectio ii Cap. 15, 20-26

**C**hristus resurréxit a  
mórtuis, primitiæ dor-  
miéntium; quóniam qui-

dem per hóminem mors, et per hóminem resurréctio mortuórum. Et sicut in Adam omnes moriúntur, ita et in Christo omnes vivificabúntur; unusquisque autem in suo ór-dine: primítia Christus; deínde ii qui sunt Christi, qui in advéntu ejus crediderunt. Deínde finis, cum tradíderit regnum Deo et Patri, cum evacuáverit omnem principá-tum, et potestátem, et virtútem. Opórtet autem illum regnáre, donec ponat omnes inimícos sub pédibus ejus. Novíssima autem inimíca destruetur mors.

**R.** Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypressus in monte Sion: quasi myrrha elécta, \* Dedi suavítatem odóris. **V.** Et sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans. Dedi.

### Lectio iii Cap. 15, 53-57

**O**pórtet enim corruptí-bile hoc indúere in corruptionem, et mortále hoc indúere immortalítatem. Cum autem mortále hoc indúerit immortalítá-

tem, tunc fiet sermo qui scriptus est: Absórupta est mors in victória. Ubi est, mors, victória tua? ubi est, mors, stímulus tuus? Stímulus autem mortis peccátum est, virtus vero peccáti lex. Deo autem grátias, qui dedit nobis victóriam per Dóminum nostrum Jesum Christum.

**R.** Quæ est ista, quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? \* Vidérunt eam filia Sion, et beátam dixerunt, et regínæ laudáverunt eam. **V.** Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium. Vidérunt. Glória Patri. Vidérunt.

### In II Nocturno

**Ant. 4** Spécie tua \* et pulchritú-dine tua inténde, prospere procéde, et regna.

**Ant. 5** Sanctificávit \* tabernáculum suum Altísimus.

**Ant. 6** Gloriósa \* prædicántur de te, Virgo María.

**V.** Assúpta est María in cælum: gaudent Angeli. **R.** Laudátes benedícunt Dóminum.

Sermo sancti Joánnis Damascéni

Oratio 2 de Dormitione B. M. V. post initium

### Lectio iv

**H**ódie sacra et animáta Arca Dei vivéntis, quæ suum in útero concépit Creatórem, requiescit in templo Dómini, quod nullis est exstrúctum má-nibus. Et David exsúltat ejus parens, et cum eo choros ducunt Angeli, célebrant Archángeli, Vir-tútes glorificant, Principátus exsúltant, Potestátes collætántur, gaudent Dominatiónes, Throni festum diem agunt, laudant Chérubim, glóriam ejus prædicant Séraphim. Hódie Eden novi Adam paradísium súscipit animá-tum, in quo solúta est condemnátió, in quo plantátum est lignum vitæ, in quo opérta fuit nostra nú-ditas.

**R.** Ornátam monílibus filiam Jerúsalem Dóminus concupívit: \* Et vidéntes eam filia Sion, beatíssimam prædicáverunt, dicéntes: Unguéntum effúsum nomen tuum. **V.** Astítit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, cir-

cúmdata varietáte. Et vidéntes.

### Lectio v

**H**ódie Virgo immaculá-ta, quæ nullis terré-nis inquináta est afféctibus, sed cæléstibus educáta cogitatió-nibus, non in terram revér-sa est; sed, cum esset animátum cælum, in cæléstibus tabernáculis collocátur. Ex qua enim ómnibus vera vita manávit, quómodo illa mortem gustáret? Sed cedit legi latæ ab eo quem genuit; et, ut filia véteris Adam, véterem senténtiam súbiit (nam et ejus Filius, qui est vita ipsa, eam non recusávit); ut autem Dei vivéntis Mater, ad illum ipsum digne assúmitur.

**R.** Beátam me dicent omnes generatiónes, \* Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. **V.** Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum. Quia.

Ex Actis

Pii Papæ duodécimi

### Lectio vi

**Q**uóniam vero univér-sa Ecclésia fidem in corpóream beátæ Mariæ Virginis AssumptiÓNem per



sæculorum decursum manifestavit, et totius orbis episcopi prope unânima consensione petierunt ut hæc veritas, quæ Chris-  
tiffidélum innititur, Christiffidélum animis pénitus est insita, ceterisque revelatis veritatibus plane cónsona, tamquam divi-  
næ et cathólicæ fidei dogma definirétur, Pius duodécimus Póntifex Máxi-  
mus, totius Ecclésiæ votis ánuens, státuit hoc beátæ Mariæ Virginis privi-  
légium sollémniter renuntiáre. Itaque die prima novémbris anni máxi-  
mi Jubilæi millésimi non-  
gentésimi quinquagésimi, Romæ, in foro ad sancti Petri basilicam patente, plurimorum Sanctæ Románæ Ecclésiæ cardinálum atque episcopórum ex díssitis étiam regiõnibus adstánte cœtu, coram ingénti Christiffidélum multítudine, univérso cathólico orbe plaudente, corpóream beátæ Mariæ Virginis Assumptiónem in cælum infallibili oráculo in hæc verba proclamávit: «Postquam súpplices étiam atque étiam ad Deum admóvimus preces, ac Veritátis Spíritus lumen

invocávimus, ad omnipoténtis Dei glóriam, qui peculiárem benevoléntiam suam Mariæ Virgini dilargítus est, ad sui Filii honórem, immortalis sæculórum Regis ac peccáti mortisque victóris, ad eúsdem augústæ Matris augendam glóriam et ad totius Ecclésiæ gáudium exsultationémque, auctoritáte Dómini nostri Jesu Christi, beatórum Apostolórum Petri et Pauli ac Nostra pronuntiámus, declarámus et definímus divínitus revelátum dogma esse: Immaculátam Deiparam semper Virginem Mariam, expléto terréstris vitæ cursu, fuisse corpore et ánima ad cæléstem glóriam assumptam.»

**R.** Beata es, Virgo Maria, quæ Dóminum portásti, Creatórem mundi: \* Genuísti qui te fecit, et in ætérnum pérmanes Virgo. **V.** Ave, Maria, grátia plena; Dóminus tecum. **Genuísti. Glória Patri. Genuísti.**

### In III Nocturno

**Ant. 7** Gaude, Maria Virgo: \* cunctas hæreses sola interemísti in univérso mundo.

**Ant. 8** Cæli annúntiant \* justítiam ejus, et omnes pópuli vident glóriam ejus.

**Ant. 9** Cantáte Dómino \* cánticum novum, quia mirabília fecit in te, o María.

**V.** María Virgo assumpta est ad æthéreum thálamum. **R.** In quo Rex regum stelláto sedet sólio.

Léctio sancti Evangelii secúndum Lucam

### Lectio vii Luc. 1, 41-50

**I**n illo témpore: Repléta est Spíritu Sancto Elísabeth et exclamávit voce magna, et dixit: Benedicta tu inter mulieres. Et réliqua.

Homília sancti Petri Canisii

De Maria Deipara Virgine lib. V. c. 6

**F**érias Deiparæ sacras, ut frequénter, ita reverénter péragit Ecclésia, certo intélligens, Deo grátum, et christiffidélibus dignum, hoc esse officium, quo inter beatos et beatas omnes beatíssima Dómini et Dei nostri Mater, certis anni tempóribus ac públicis cæremóniis sæpenúmero celebrá-

tur. Inter has autem férias, quæ tot sæculis religiósè háctenus observántur, festum Assumptiónis máximum reputátur, locúmque principem tenet. Nec dies quidem ullus Mariæ lætior feliciórque contigit, si novam et ánima et corpóris felicitátem eo die illi collátam rite contem-  
plémur: ideóque si ántea unquam, tunc vel máxime spíritus et ánima et corpus ejus in Deum vivum mirabíliter exsultávit, ipsaque summo jure dicere pótuit: «Respéxit humilitátem ancillæ suæ: Ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes: quia fecit mihi magna qui potens est.»

**R.** Diffusa est grátia in lábiis tuis: \* Propterea benedixit te Deus in ætérnum. **V.** Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis, ex quibus delectaverunt te filia regum in honóre tuo. **Propterea.**

### Lectio viii

**Q**uare nos étiam, qui te Filiúmque tuum amá-  
mus, o ter beáta et vere augústa Mater, non pós-

sumus huic præclæræ et incomparabili felicitati tuæ non ex ánimo gratulári, quandóquidem quæcúmque a Dómino tibi et de te dicta sunt, tam pulchro éxítu concludúntur, ac omni ex parte tandem perficiúntur. Beáta quæ non modo credidisti, sed fidei étiam omnisque virtutis fructum et finem hódie consecúta es, et ejus quem tantópere amásti atque desiderásti, jucundíssimo conspéctu nunc demum pérfrui meruísti. Emmanuélem in castéllum mundi hujus intrántem, tamquam hóspitem, hóspita excepisti: hódie ab illo vicíssim in regále suum palátium excíperis, et tamquam mater tali Salomóne digna magnífice primum honoráris.

**R.** Beáta es, Virgo María, Dei Génitrix, quæ credidisti Dómino: perfecta sunt in te quæ dicta sunt tibi: ecce exaltáta es super choros Angelórum: \* Intercéde pro nobis ad Dóminum, Deum nostrum. **V.** Ave, María, grátia plena: Dóminus tecum. Intercéde. Glória Patri. Intercéde.

## Lectio ix

**F**elix dies, qui tam pretiosum munus de hujus mundi deserto transmísit, et ad sanctam æternámque civitátem ita perdúxit, ut commúne et incredibile gáudium, nec minor admiratio cælitibus ómnibus crearetur. Felix dies, qui sponsæ languentis tam ardéntibus quam diutúrnis desidériis satisfécit, ut quod quæsi-verat inveniret, quod petiverat acciperet, quod expectárat secúra possideret, nimirum in illa summi æternique boni perfectá visióne atque fruitióne pénitus conquiescens. Felix dies, qui ancillam Dómini humillimam eo usque provéxit ac éx tulit, ut præstantíssima cæli Regina, mundique Dómina efficeretur, et ne áltius quidem posset assúrgere, quóniam in Regni sólio sublimáta, post Christum gloriósa resédit. Felix hic planéque venerándus dies est, qui Regínam et Matrem nobis poténtem simul et cleméntem in regno Dei constitúit ac confirmávit, ut eándem, quæ Júdicis mater assidue manet, matrem misericórdiæ

nobis favéntem, et apud Christum patrocínantem, nostræque salutis negótia fideliter procurántem habeamus.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

et per Horas

**Ant. 1** Assúpta est María in cælum: \* gaudent Angeli, laudántes benedicunt Dóminum.

**2** María Virgo assúpta est \* ad æthereum thálammum, in quo Rex regum stelláto sedet sólio.

**3** In odórem \* unguentórum tuórum cúrrimus: adolescentulæ dilexerunt te nimis.

**4** Benedícta \* filia tu a Dómino: quia per te fructum vitæ communicávimus.

**5** Pulchra es \* et decóra, filia Jerúsalem, terribilis ut castrórum ácies ordináta.

**Capit. Judith 13, 22**

**B**enedíxit te Dóminus in virtúte sua, quia per te ad nihilum redégit inimicos nostros. Benedícta es tu, filia, a Dómino Deo excélsio, præ ómnibus muliéribus super terram.

## Hymnus

**S**olis, o Virgo, rádiis amícta,  
Bis caput senis redímíta stellis,  
Luna cui præbet pèdibus scabéllum  
Inclita fulges.

Mortis, inférni domitrix-  
que noxæ,  
Assides Christo studiósá nostri,  
Teque regínam célebrat poténtem  
Terra polúsque.

Damna sed perstat sóboli minári  
Créditæ quondam Tibi dirus anguis;  
Mater, huc clemens ades,  
et maligni Cóntere collum.

Asseclas diæ fidei tuére,  
Tránsfugas adduc ad ovíle sacrum,  
Quas diu gentes tegit umbra mortis  
Undique coge.

Sóntibus mitis véniam precáre,  
Adjuva flentes, ínopes et ægros,  
Spes mica cunctis per acúta vitæ  
Certa salutis.

Laus sit excelsæ Triadi  
perennis,  
Quæ Tibi, Virgo, tribuit  
coronam,  
Atque reginam statuitque  
nostram  
Próvida matrem. Amen.

**V.** Exaltáta est sancta  
Dei Génitrix. **R.** Super  
choros Angelórum ad cæ-  
léstia regna.

**Ad Bened. Ant.** Quæ est  
ista \* quæ ascéndit sicut  
auróra consurgens, pul-  
chra ut luna, elécta ut sol,  
terribilis ut castrórum  
acies ordináta?

#### Oratio

**O**mnípotens sempitér-  
ne Deus, qui immaculá-  
tam Vírginem Mariam,  
Fílii tui Genitricem, cór-  
pore et ánima ad cælé-  
stem glóriam assumpsisti:  
concede, quæsumus; ut,  
ad supérna semper intén-  
ti, ipsíus glóriæ mereám-  
tur esse consórtes. Per  
eúndem Dóminum.

#### AD PRIMAM

**Ant.** Assúpta est Ma-  
ría in cælum: \* gaudent  
Angeli, laudántes bene-  
dicunt Dóminum.

#### AD TERTIAM

**Ant.** María Virgo as-  
súpta est \* ad æthéreum

thálamum, in quo Rex re-  
gum stelláto sedet sólio.

#### Capit. Judith 13, 22

**B**enedíxit te Dóminus  
in virtúte sua, quia  
per te ad níhilum redégit  
inimicos nostros. Bened-  
ícta es tu, filia, a Dómi-  
no Deo excélso, præ óm-  
nibus muliéribus super  
terram.

**R. br.** Exaltáta est \*  
Sancta Dei Génitrix. **Ex-**  
altáta. **V.** Super choros  
Angelórum ad cæléstia  
regna. **Sancta. Glória Pa-**  
tri. **Exaltáta.**

**V.** Assúpta est María  
in cælum: gaudent Angeli.  
**R.** Laudántes benedicunt  
Dóminum.

#### AD SEXTAM

**Ant.** In odórem \* un-  
guentórum tuórum cúrri-  
mus: adolescentulæ dile-  
xérunt te nimis.

#### Capit. Judith 13, 24 et 25

**B**enedíctus Dóminus,  
quia hódie nomen tu-  
um ita magnificávit, ut  
non recédát laus tua de  
ore hóminum.

**R. br.** Assúpta est Ma-  
ría in cælum: \* Gaudent  
Angeli. **Assúpta. V.**  
Laudántes benedicunt Dó-  
minum. **Gaudent. Glória**  
Patri. **Assúpta.**

**V.** María Virgo assúmp-  
ta est ad æthéreum thála-  
mum. **R.** In quo Rex re-  
gum stelláto sedet sólio.

#### AD NONAM

**Ant.** Pulchra es \* et de-  
córa, filia Jerúsalem, ter-  
ribilis ut castrórum ácies  
ordináta.

#### Capit. Judith 15, 10

**T**u glória Jerúsalem, tu  
lætítia Israel, tu hon-  
nificéntia pópuli nostri.

**R. br.** María Virgo as-  
súpta est \* Ad æthére-  
um thálamum. **María. V.**  
In quo Rex regum stellá-  
to sedet sólio. **Ad. Glória**  
Patri. **María.**

**V.** Dignáre me laudáre  
te, Virgo sacráta. **R.** Da  
mihi virtútem contra ho-  
stes tuos.

#### IN II VESPERIS

**Antiphonæ et Capitulum de**  
**Laudibus 9\*;** **Hymnus Ave,**  
maris stella.

**V.** Exaltáta est sancta  
Dei Génitrix. **R.** Super  
choros Angelórum ad cæ-  
léstia regna.

**Ad Magnif. Ant.** Hódie  
\* María Virgo cælos a-  
scéndit: gaudéte, quia  
cum Christo regnat in æ-  
térnum.

Et fit Com. sequentis.

Die 18 Augusti

DE IV DIE  
INFRA OCTAVAM  
ASSUMPTIONIS  
B. MARIE VIRG.

#### Semiduplex

**Ant.** Virgo prudentíssi-  
ma, quo progréderis, qua-  
si auróra valde rútilans?  
Fília Sion, tota formósa  
et suávis es, pulchra ut  
luna, elécta ut sol.

**V.** Exaltáta et Oratio  
Omnípotens, ut supra 10\*.

**Pro Commemoratione S.**  
**Agapiti Mart.:**

**Ant.** Iste Sanctus pro  
lege Dei sui certávit us-  
que ad mortem, et a ver-  
bis impiórum non tímuit;  
fundátus enim erat supra  
firmam petram.

**V.** Glória et honóre co-  
ronásti eum, Dómine. **R.**  
Et constituísti eum super  
ópera mánuum tuárum.

#### Oratio

**L**ætétur Ecclésia tua, De-  
us, beáti Agapíti Már-  
tyris tui confisa suffrági-  
is: atque, ejus précibus  
gloriósis, et devóta per-  
máneat, et secúra consi-  
strum. Per Dóminum no-  
strum.

## In I Nocturno

De Canticis canticórum

Lectio i Cap. 4, 7-9, 12

**T**ota pulchra es, amíca mea, et mácula non est in te. Veni de Líbano, sponsa mea, veni de Líbano: veni, coronáberis, de cápite Amaná, de vértice Sanir et Hermon, de cubilibus leónum, de món-tibus pardórum. Vulnerásti cor meum, soror mea, sponsa, vulnerásti cor meum, in uno oculórum tuórum et in uno crine colli tui. Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signátus.

**R.** Vidi speciósam sicut colúmbam, ascendéntem désuper rivos aquárum, cujus inæstimábilis odor erat nimis in vestiméntis ejus; \* Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium. **V.** Quæ est ista quæ ascendit per désertum sicut vírgula fumi ex aromátibus myrrhæ et thuris? **Et** sicut.

Lectio ii Cap. 6, 3, 8-9; 8, 5

**P**ulchra es, amíca mea, suávis et decóra sicut Jerúsalem: terríbilis ut

castrórum ácies ordináta. Una est colúmba mea, perfécta mea, una est matris suæ, elécta genitríci suæ. Vidérunt eam filíæ, et beatíssimam prædicáverunt; regínæ, et laudáverunt eam. Quæ est ista, quæ progréditur, quasi auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta? Quæ est ista, quæ ascendit de désérto, delíciis áffluens, in-níxa super diléctum suum?

**R.** Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion: quasi myrrha elécta, \* Dedi suavitátem odóris. **V.** Et sicut cinnamómum et bálsamum aromatizans. **Dedi.**

Lectio iii Cap. 8, 6-7

**P**one me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum, quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio: lámpades ejus, lámpades ignis atque flammárum. Aquæ multæ non potuerunt extínguere caritátem nec flúmina óbruent illam. Si déderit homo omnem sub-

stántiam suam pro dilectióne, quasi nihil despiciet eam.

**R.** Quæ est ista quæ processit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? \* Vidérunt eam filíæ Sion, et beátam dixerunt, et regínæ laudáverunt eam. **V.** Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium. **Vidérunt.** **Glória Patri.** **Vidérunt.**

## In II Nocturno

Ex Constitutióne Apostólica Pii Papæ duodécimi

## Lectio iv

**S**anctórum Patrum ac theologórum arguménta consideratiónesque Sacris Litteris, tamquam último fundaménto, nitúntur; quæ quidem almam Dei Matrem nobis véluti ante óculos propónunt divíno Filio suo conjunctíssimam, ejúsque semper participántem sortem. Quamóbre quæ impos-síbile vidétur eam cernere, quæ Christum concépit, péperit, suo lacte áluit, eúmque inter ulnas hábuit pectoríque obstrínxit suo, ab eódem post terréstrem hanc vitam,

etsi non ánima, corpore tamen separátam. Cum Redémptor noster Mariæ Fílius sit, haud póterat profécto, útpote divínæ legis observátor perfectíssimus, præter Ætérnum Patrem, Matrem quæ suam dilectíssimam non honoráre. Atqui, cum eam posset tam magno honóre exornáre, ut eam a sepúlchri corruptióne serváret incólumem, id reáppe fecisse credéndum est.

**R.** Ornátam monílibus filiam Jerúsalem Dóminus concupívit: \* Et vidéntes eam filíæ Sion, beatíssimam prædicáverunt, dicéntes: Unguéntum effúsum nomen tuum. **V.** Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. **Et** vidéntes.

## Lectio v

**M**áxime autem illud memorándum est, inde a sáculo secúndo, Mariam Vírginem a sanctis Pátribus véluti novam Hevam propóni novo Adæ, etsi subjéctam, arcetíssime conjunctam in certámine illo advérsus inferorum hostem, quod, quemád-

modum in protoevangélio præsignificatur, ad plenissimam deventurum erat victoriam de peccato ac de morte, quæ semper in gentium Apóstoli scriptis inter se copulantur. Quam obrem, sicut gloriosa Christi anástasis essentialis pars fuit ac postrémum hujus victoriæ tropæum, ita beatæ Virginis commúne cum Filio suo certámen virginei corpóris «glorificatióne» concludendum erat; ut enim idem Apóstolus ait, «cum . . . mortále hoc indúerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: absorpta est mors in victória».

**R.** Beátam me dicent omnes generatiónes, \* Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. **V.** Et misericórdia ejus a progénie in progénies tíméntibus eum. Quia.

### Lectio vi

**I**dcirco augústa Dei Mater, Jesu Christo, inde ab omni æternitate, «uno eodémque decreto» prædestinatiónis, arcáno modo conjuncta, immaculata in suo concéptu, in divína maternitate sua integér-

rima virgo, generósa Divini Redemptóris sócia, qui plenum de peccato ejusque consecráriis deportávit triúmphum, id tandem assecúta est, quasi suprémam suórum privilegiórum corónam, ut a sepúlchri corruptiÓne servarétur immúnis, utque, quemádmódu jam Fílius suus, devicta morte, corpore et ánima ad supérnæ cæli glóriam eveherétur, ubi Regína refugéret ad ejúsdem sui Fílii dexteram, immortalis sæculórum Regis.

**R.** Beáta es, Virgo María, quæ Dóminum portásti, Creatórem mundi: \* Genuísti qui te fecit, et in ætérnum pérmanes Virgo. **V.** Ave, María, grátia plena; Dóminus tecum. Genuísti. Glória Patri. Genuísti.

### In III Nocturno

Lectio sancti Evangélii secundum Lucam

### Lectio vii Cap. 1, 41-50

**I**n illo témpore: Repléta est Spíritu Sancto Elisabeth et exclamávit voce magna, et dixit: Benedicte tu inter mulieres. Et reliqua.

### Homília sancti Petri Damiani

#### In Nativitate B. Mariæ V.

**V**irgo Dei Génitrix, cuius pulchritúdinem sol et luna mirántur, súbveni, dómina, clamántibus ad te júgiter: «Revértere, revértere, Sunamítis, revértere, revértere, ut intueámur te.» Tu benedicta, et super benedicta, revértere per poténtiam. Fecit in te magna qui potens est, et data est tibi omnis potestas in cælo et in terra. Nihil tibi impossíbile, cui possíbile est desperátos in spem beatitúdinis releváre. Quómo enim illa potestas tuæ poténtiæ póterit obviáre, quæ de carne tua carnis suscepit originem? Accédis enim ante illud áureum humanæ reconciliatiónis altáre, non solum rogans, sed ímpetrans, dómina, non ancilla. Móveat te natúra, poténtia móveat, quia quanto poténtior, tanto misericórdior esse debébis. Potestáti enim cedit ad glóriam, injúrias ulcisci nolle cum possit. Revértere per amórem. Scio, dómina, quia benigníssima es, et amas nos amóre invincí-

bili, quos in te et per te Fílius tuus et Deus tuus summa dilectiÓne diléxit. Quis scit quóties refrigéras iram Júdicis, cum justítiæ virtus a præsentia deitátis egréditur?

**R.** Diffúsa est grátia in lábiis tuis; \* Propterea benedíxit te Deus in ætérnum. **V.** Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis, ex quibus delectavérunt te filia regum in honóre tuo. Propterea.

### Lectio viii

**R**evértere per singularitatem. In má nibus tuis sunt thesáuri miserationum Dómini, et sola elécta es, cui grátia tanta concéditur. Absit ut cesseret manus tua, cum occasiÓnem quæras salvándi míseros et misericórdiam effundéndi! neque enim tua glória minúitur, sed augétur, cum pœniténtes ad véniam, justificáti ad glóriam assumúntur. Revértere ergo, Sunamítis, id est, despécta, cuius animam pertransívit gládus, quæ fabri uxor appelláta fuísti. Ad quid? Ut intueámur te. Summa glória est post Deum te vidére,

adhærere tibi, et in tuæ protectionis munimine demorari. Audi nos. Nam et Filius nihil negans honorat te, qui est Deus benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

**R.** Beata es, Virgo Maria, Dei Genitrix, quæ credidisti Domino: perfecta sunt in te quæ dicta sunt tibi: ecce exaltata es super choros Angelorum:

\* Intercède pro nobis ad Dominum, Deum nostrum.

**V.** Ave, Maria, gratia plena; Dominus tecum. Intercède. **Gloria Patri.** Intercède.

**Pro S. Agapito Mart.:**

### Lectio ix

**A**gapitus Prænestinus, quindecim annos natus, Aureliano imperatore, martyrii cupidissimus, cum propter constantiam religionis, imperatoris jussu, primum nervis diutissime cæsus, deinde in tetrum carcerem conjectus esset, ut nihil omnino per

quatuor dies gustaret, e custodia est eductus. Et, ardentibus carbonibus capiti ejus impositis, Deo agens gratias, iterum affectus verbèribus, nudus ita pedibus suspensus est, ut ingens fumus e subiecto igne os ejus obrueret. Tum fervens aqua in ejus ventrem effusa est, maxillæque confractæ. Quo tempore judex, e tribunali lapsus, paulo post mortuus est. Ea re incenso imperatore, sanctum juvenem jubente feris objici, cum illæ non auderent attingere, Præneste gladio percussus est. **Te Deum.**

**Ad Laudes pro Commemoratione S. Agapiti:**

**Ant.** Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.

**V.** Justus ut palma florebit. **R.** Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

**Oratio** Lætetur 11\*.

**Vesperæ de sequenti, Commemoratio præcedentis.**

### APPROBATIO

Concordat cum originali approbato.

Ratisbonæ, die 18 Junii 1951

Joseph Franz **Vic. Gen.**

noſtite timere: multis paſſibus meliores eſtis vos.

**V.** Exultabunt Sancti in gloria. **R.** Laetabuntur in cubilibus ſuis.

### Oratio

**S**anctorum Martyrum tuorum Tiburtii et Sannæ nos, Domine, foveant continuata præſidia: quia non deſinis propitiuſ intueri; quos tali- bus auxiliis conceſſeris adjuvâri. Per Dominum.

Vespera a Capitulo de ſequenti Feſto S. Claræ Virginis, Commemoratio præcedentis:

**Ant.** Qui vult venire post me, abneget ſemetipſum, et tollat crucem ſuam, et ſequatur me.

**V.** Justus et Oratio Præſta, ut ſupra.

Die 2 Septembris

S. Nonnosi Abbatis

Patroni minus principalis  
Archidieceſis

Duplex majus

**V.** Amavit eum Dominus, et ornâvit eum. **R.** Stolam gloriæ induit eum.

**Ad Magnif. Ant.** Similabo eum \* viro ſapienti, qui ædificavit domum ſuam ſupra petram.

### Oratio

**D**a nobis, æternæ conſolationis pater, per preces beati Nonnoſi Abbatis pacem et ſalutem mentis et corporis: ut, tuis tota dilectione inhæreamus præceptis; et, quæ tibi placita ſunt, tota virtute perficiamus. Per Dominum noſtrum.

Et fit Commemoratio S. Stephani Reg., Conf.:

**Ant.** Hic vir deſpiciens mundum et terræna, triumphans, divitiis cælo cõdedit ore, manu.

**V.** Justum deduxit Dominus per vias rectas. **R.** Et ostendit illi regnum Dei.

### Oratio

**C**oncede, quæſumus, Ecclésiæ tuæ, omnipotens Deus: ut beatum Stephanum Confessorem tuum, quem regnantem in terris propagatorem habuit, propugnatorem habere mereatur gloriosum in cælis. Per Dominum.

In II Nocturno

Lectio iv

**N**onnosus sub asperrimo monasterii sui, quod in Soracte monte situm est, degēbat patre, sed mira semper æquanimitate mo-

res ejus tolerabat: hac que fratribus præerat mansuetudine, ut crebro patris iracundiam ea humilitate mitigaret. Quia vero monasterium illud in summo montis cacumine exstructum fuerat, ad quantumvis parvum hortum fratribus excolendum nulla patebat planities. Unus autem brevissimus locus in latere montis excreverat, quem ingentis saxi moles naturaliter egradiens occupabat. Quæ cum humano labore inde dimoveri non posset, Nonnosus ad divinum se solatium contulit, seque illic nocturno silentio orationi dedit. Mane facto, cum fratres ad eundem locum venirent, invenerunt saxum tantæ magnitudinis ab eodem loco longius recessisse, suoque recessu largum fratribus spatium ad excolendum hortum dedisse.

**R.** Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: \* Et dedit illi claritatem illum: **V.** Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. **Et.**

## Lectio v

**A**lio quoque tempore cum idem vir venerabilis lampades vitreas in oratorio lavaret, una ex ejus manibus cecidit, quæ per innumeras partes fracta dissiliit. Qui vehementissimum patris monasterii furorem timens lampadis fragmenta omnia collégit atque ante altare posuit, seque gravi cum gemitu in orationem dedit. Cumque ab oratione caput levasset, integram lampadem reperit, quam timens per fragmenta collégerat.

**R.** Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriæ induit eum, \* Et ad portas paradisi coronavit eum. **V.** Induit eum Dominus lorica[m] fidei, et ornavit eum. **Et.**

## Lectio vi

**C**um quadam die in monasterio vetus oleum deesset, jamque colligendæ olivæ tempus incumberet, et in monasterii arboribus olivæ paucæ tantum inesse videbantur, eas colligi. in prelum mitti, et quamlibet parum olei exprimi potuisset, sibi deferri jussit. Quod factum et susceptum in parvo vá-

sculo oleum Nonnoso delatum. Quod ipse ante altare posuit, cunctisque egre-dientibus oravit, atque accersitis postmodum fratribus jussit, ut hoc, quod detulerant, oleum levarent et per cuncta vasa monasterii exiguum quid infundendo dividerent. Die vero altera aperta omnia vasa plena reperta sunt oleo. Nonnosus tandem illius monasterii præpositus effectus, reliquos vitæ dies sancte perégit: cujus sacrum corpus per Nitgerum episcopum Frisingam deportatum, post ingens incendium, ab Adalberto episcopo, præsentè beato Eberhardo, Salisburgensi archiepiscopo, anno millésimo centésimo sexagésimo primo in cryptam cathedralis ecclesiæ repositum, tandem a Joanne Francisco vigésimo séptimo Januarii anno millésimo septingentésimo octavo denuo inventum, et anno sequenti secunda Septembris máxima cum solemnitate pública venerationi in eadem crypta expositum fuit, ubi Deus per hujus sancti abbatis intercessionem fidelibus ubertim confluentibus plurima

et ferme quotidiana beneficia elargitur.

**R.** Iste homo perfecit omnia quæ locutus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingre-dere in requiem meam: \* Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus. **V.** Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad cælestia regna. **Quia.** Glória Patri. **Quia.**

## In III Nocturno

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum

## Lectio vii Cap. 11, 22-24

**I**n illo tempore: Respondens Jesus discipulis suis ait illis: Habete fidem Dei. Amen, dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti: Tollere et mittere in mare, et non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit, quia quodcumque dixerit fiat, fiet ei. Et reliqua.

Homilia sancti Bedæ Venerabilis Presbyteri

Lib. 3 Comment. in Marc. cap. 11

**S**olent gentiles, qui contra Ecclesiam maledicta scripsere, impropere nostris, quod non habuerint plenam fidem Dei, quia numquam montes transferre potuerint. Qui-

bus respondendum est, non omnia scripta esse, quæ in Ecclesia sunt gesta, sicut etiam de factis ipsius Christi et Domini nostri Scriptura testatur. Unde et hoc quoque fieri potuisset, ut mons ablatus de terra mitteretur in mare, si necessitas id fieri poposcisset. Quomodo legimus factum precibus beati Patris Gregorii, Neo-Cæsariæ Pontifantistitis, viri meritis et virtutibus eximii, ut mons in terra tantum loco cederet, quantum incolæ civitatis opus habebant.

**R.** Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et de omni corde suo laudavit Dominum: \* Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. **V.** Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, et permanens in innocentia sua. **Ipse.**

## Lectio viii

**C**um enim volens adificare ecclesiam in loco apto videret eum angustiorrem esse, quam res exigebat, eo quod ex una parte rupe maris, ex alia monte proximo coarctaretur; venit nocte ad locum, et genibus flexis admonuit Dó-



minum promissionis suæ, ut montem longius iuxta fidem petentis ægeret. Et mane facto reversus invenit montem tantum spatii reliquisse structoribus ecclésiæ, quantum opus habuerant. Póterat ergo hic, póterat álius quis ejúsdem mériti vir, si opportúnitas exegisset, impetráre a Dómino mérito fidei, ut étiam mons tollerétur et mitterétur in mare.

**R.** Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris: \* Et vos símiles homínibus expectántibus dómínium suum, quando revertátur a núptiis. **V.** Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. **Et.** Glória Patri. **Et.**

Pro S. Stephano:

### Lectio ix

**S**téphanus, Hungarórum rex, in Hungáriam Christi fidem et régium nomen invéxit. Régia coróna a Románo Pontífice impetráta, ejúsq; jussu rex inúctus, regnum Sedi apostólicæ obtulit. Vária pietátis domicília Romæ, Jerosólymis, Constantinópoli constitúit; in Hungária archiepiscopátum Strigoniensem et episco-

pátus decem admirábili religióne et munificéntia fundávit. Eximia in páuperes caritáte et assíduo orándi stúdio enítuit. Dei Genitricem, quam ardentíssime venerabátur, amplíssimo in ejus honórem constrúcto templo, Hungáriæ patrónam instituit; ab eádem vicíssim Virgine recéptus in cælum ipso suæ Assumptiónis die, quem Húngari e sancti Regis institúto Magnæ Dóminæ diem appellánt. Ejus tamen festum ex constitútióne Innocéntii Papæ undécimi hac die potíssimum recólitur, qua Budæ munitíssima arx, sancti Regis ope, ab exércitu christiáno strénue recuperáta fuit.

Te Deum laudámus.

### Ad Laudes

**V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

**Ad Bened. Ant.** Euge, serve bone \* et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

### Oratio

**D**a nobis, æternæ consolatiónis pater, per préces beáti Nonnósi Ab-

bátis pacem et salutem mentis et corpóris: ut tuis tota dilectióne inhæreámus præcéptis; et, quæ tibi placita sunt, tota virtúte perficiámus. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio S. Stephani Reg., Conf.:

**Ant.** Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

**V.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stolam glóriæ induit eum.

### Oratio

**C**oncède, quæsumus, Ecclésiæ tuæ, omnipotens Deus: ut beátum Stéphanum Confessórem tuum, quem regnántem in terris propagatórem há-

buit, propugnatórem habére mereátur gloriósum in cælis. Per Dóminum.

### In II Vesperis

**V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

**Ad Magnif. Ant.** Hic vir despiciens mundum \* et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

Et fit Commemoratio S. Stephani Reg., Conf.:

**Ant.** Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

**V.** Amávit et Oratio  
Concède, ut supra.

## INDEX ALPHABETICUS

	pag.
Afræ Martyris, duplex. 9 Augusti	33*
Bathonis Conf. Com. 31 Julii	32*
Bennonis Ep. et Conf., Patroni Baviariæ et Patroni principalis Civitatis Archiepiscop., duplex I classis cum Octava communi. 16 Junii	1*
— — De II die infra Octavam, semiduplex. 17 Junii	4*
— — De V die infra Octavam, semiduplex. 20 Junii	7*
— — In Octava, duplex majus. 23 Junii	11*
Bonifatii Ep. et Mart., duplex II classis. 5 Junii	1*
Chiliani Ep. et Sociorum Mm. Com. 8 Julii	19*
Elisabeth Reginae Portugalliæ, Viduæ, duplex. 8 Julii	19*
Henrici Imper., Conf., duplex majus. 15 Julii	28*
Irmengardis Virg., duplex. 17 Julii	28*
Justini Presbyt. et Mart., duplex. 11 Augusti	38*
Laurentii a Brundusio Conf. Com. 22 Julii	31*
Nonnosi Abbatis, Patroni minus principalis Archidiœcesis, duplex majus. 2 Septembris	40*
Otonis Ep. et Conf., duplex. 11 Julii	22*
Udalrici Ep. et Conf., duplex. 4 Julii	15*
Willibaldi Ep. et Conf., semiduplex. 9 Julii	20*

## APPROBATIO

Concordat cum originalibus approbatis.

Monachii, die 10 Maji 1948

(L. † S.)

BUCHWIESER

Vic. Gen.

## IMPRIMATUR.

Ratisbonæ, die 23 Decembris 1948

JOSEPH FRANZ

Vic. Gen.